

fieri corpus ex non corpore. Secundum est; quia materia simul non posset diversas formas recipere. Tertium est; quod nec etiam successive posset materia diversas formas recipere: sed omnis forma in materia esset ingenerabilis, incorruptibilis, & æterna.

3. Est quod fieret corpus ex non corpore. Et quid hoc sit?

Primum inconueniens sic patet: quia *omne, quod recipitur in aliquo, recipitur secundum modum rei recipientis*, & non secundum modum rei receptæ: & inde est, quod, licet nihil secundum se sit divisibile, nisi quantitas: licet omnes aliæ formæ à quantitate, eductæ de potentia materiæ sint de se indivisibiles: tamen, quia illæ formæ recipiuntur in materia quanta, recipiuntur in ea modo divisibili: ut, albedo, quæ de se est divisibilis, quia recipitur in materia quanta, & recipitur in materia mediante superficie, quæ est quid divisibile; idè recipitur in ea modo divisibili, & extenditur secundum extensionem materiæ, in qua recipitur & est albedo multa & extensa; quia superficies est multa & extensa. Sic & è contrario: si quantitas, quæ est quid divisibile, reciperetur in materia mediante formam indivisibili, reciperetur in ea modo indivisibili. Si ergo materia posset absolvi à quantitate, & indui quantitate, fieret quantum ex non quanto: hoc appellat Commentator, *fieri corpus ex non corpore*; quia fieret quantum ex non quanto, habet enim ipse pro magno inconuenienti, quod fiat quantum ex non quanto. Nunquam ergo absoluitur materia à quantitate; quia tunc materia non quanta fieret quanta.

Quantitas est sola divisibilis, reliqua propter ipsam.

Rursum si quantitas post alias formas adveniret materiæ; cum aliæ formæ sint de se indivisibiles, reciperetur quantitas modo indivisibili. Propter quod quantitas sic recepta in materia non extenderet materiam. Ut eiò non cogamur ponere, quod fiat quantum ex non quanto: & ut quantitas in materia extendat materiam; Dicemus, quod nunquam materia à quantitate absolvetur: sed semper maneat quanta: & quæcumque forma in materia recipitur, siue sit substantialis, siue accidentalis, recipiatur in materia quanta: & quia quantitas illa, à qua nunquam absoluitur materia, est quantitas indeter-

minata, non determinata; idè dictum est, quod dimensiones indeterminatæ præcedant formam substantialem in materia: determinatæ verò sequantur.

DECLARATVM EST ergo primum inconueniens; videlicet, quod si materia absolueretur à quantitate, & si materia non semper esset quanta, & si forma substantialis non adveniret materiæ jam quantæ, quod fieret corpus ex non corpore, id est, quod fieret quantum ex non quanto.

Imò si benè considerentur verba ^{2. Incon-}proposita, declaratum est inconueniens; ^{ueniens;} quia materia non posset simul ^{quia materia non posset simul diversas formas recipere.}secundum & tertium. Nam, ut dicebatur, si quantitas adveniret materiæ post aliquam aliam formam, cum quælibet alia forma à quantitate sit de se indivisibilis, reciperetur quantitas in materia modo indivisibili: propter quod quantitas sic recepta materiam non extenderet: non ergo possent in materia esse simul contrariæ formæ, quod erat inconueniens secundum: nam tota causa, quare materia simul possit esse sub contrariis formis, est, quia materia est quanta & extensa: propter quod in diversis partibus materiæ possunt recipi diversæ formæ. Itaque, cum ostensum sit; quod, si quantitas adveniret materiæ post aliquam formam, tunc materiam non extenderet; unde benè dictum est, quod si materia absolueretur à quantitate, & si materia post receptionem alicujus formæ reciperet quantitatem, quod quantitas illa adveniret materiæ secundum modum formæ in materia receptæ: & per consequens, quia adveniret materiæ modo indivisibili, non extenderet materiam, nec possent in diversis partibus materiæ esse diversæ formæ, èd quod, hoc posito, materia nullas haberet partes.

Tertium etiam inconueniens de levi ^{3. Incon-}declaratum: nam, cum omne, quod ^{ueniens, quod nec successe.}moveretur sit quantum, si materia non extenderetur per quantitatem, non posset esse subjecta motui, & transmutationi: forma ergo in materia recepta semper esset in materia: esset ergo forma illa ingenerabilis, & incorruptibilis; quia non posset materia per transmutationem & motum ab illa absolui. Supponamus ergo, cum Commentatore, quod ^{quia omnes formæ recipiuntur incorruptibiliter.}omnis

omnis forma recepta in materia adveniat materiæ jam quantæ, & quod materia nunquam à quantitate absolvatur.

Quantas determinatur quatuor modis.

SED, QVOMODO quantitas, quæ nunquam absolvitur à materia, quæ procedit omnem formam in materia, dicatur dimensiones indeterminatæ? & qualiter in materia sint dimensiones determinatæ? sic potest ostendi: dicemus enim, quod quantitas quadrupliciter determinetur. Primò per aliam & aliam formam substantialem. Secundò per aliam & aliam qualitatem. Tertio per aliam & aliam quantitatem. Quartò per seipsam aliter & aliter acceptam.

1. Per aliã & aliam formam substantialem; sicut materia.

Primum quidem sic patet. Nam, sicut materia de se est indeterminata, terminatur autem per aliam & aliam substantialem formam, sic ipsa essentia quantitatis adhærens materiæ, de se quandam indeterminationem habet: determinatur autem, prout est sub alia & alia substantiali forma. Secundùm hoc ergo verificatur, quo modo dimensiones determinatæ præcedant formam in materia, sed determinatæ sequantur? Nam quantitas secundùm se præcedit formam substantialem in materia: sed, ut est terminata per formam substantialem, sequitur formam substantialem in materia; nam priùs intelligitur, quod forma substantialis adveniat materiæ, & postea, quod per hujusmodi formam determinetur tam materia, quàm quantitas existens in ipsa.

Ex qua habet, quod occupet tantum locum: cum de se habeat, quod locum occupet.

Exemplo corporis calidi ignei, aerei &c.

Secundùm hoc etiam verificatur, quod per dimensiones indeterminatas habeat materia, quod occupet locum: per terminatas verò, quod occupet tantum locum: nam tantum de materia, quantum est sub uno pugillo terræ, etiam est sub decem aquæ, sub centum aëris, & sub mille ignis. Semper quidem remanet tantum de materia; quia nihil deponitur in materia: sed non semper remanet occupatio tanti loci. Habet ergo materia per quantitatem, ut occupet locum: sed quod occupet tantum, aut tantum locum, habet per quantitatem, non secundùm se & absolute, sed secundùm quod est sub alia & alia forma substantiali: quia, ut patuit, eadem quantitas materiæ, prout

est sub alia & alia substantiali forma, potest occupare unum pugillum, & decem, & centum, & mille. Per quod apparet, quod ex ipsa forma substantiali aliquam determinationem acquirat quantitas: quia eadem quantitas materiæ de se indeterminata est, ut occupet magnum, vel parvum locum: conjuncta autem formæ substantiali determinatur ad occupationem tanti vel tanti loci.

Secundò determinatur quantitas in materia per aliam & aliam qualitatem; nam, secundùm quod quantitas materiæ est conjuncta raritati vel densitati, occupat majorem, & minorem locum, secundùm quod est conjuncta alijs, & alijs qualitati. Indeterminatè ergò se habet quantitas ad occupationem loci: determinatur autem tam per formam substantialem, quam per qualitatem; ut, quod tanta quantitas materiæ occupet determinatè tantum locum, hoc est, quia est conjuncta tali formæ substantiali, aut tali qualitati; ut puta tali raritati, vel densitati. Nec est inconveniens, quod per utrumque determinetur quantitas; nam & in alijs sumimus rationem ex utroque: dicimus enim, quod ratio quare moveatur grave deorsum sit natura, sive substantialis forma, & etiam qualitas: ut puta gravitas, aliter tamen & aliter; quia natura, sive

2. Per aliã & aliam qualitatem.

A qua idem habet.

Aliter tamen & aliter.

substantialis forma est hujusmodi ratio principalis. Prima qualitas verò est ratio proxima & immediata: unde in *II. Physicorum* dicitur, quod *natura est principium motus, & quietis per se, & primo*, motionis enim, & quietis ratione per se, & primo, & principaliter attribuimus naturæ, sive substantiali formæ: proxime autem & immediate attribuimus qualitati. Sic & ratio, quare sentiat animal, est ejus anima, sive ejus substantialis forma, & ejus potentia sensitiva, quæ est quædam qualitas: sed anima est hujusmodi ratio principalis & prima. Ideo dicitur in *lib. De anima*, *Quod anima est primum sentiens: potentia autem sensitiva est ratio sentiendi proxima, & immediata*.

Exemplo gravis respectu motus deorsum, & animæ respectu sensus.

Sic & in proposito quod determinatè occupet tantum locum; ratio sumitur à forma substantiali, & a qualitate; ut, à raritate vel densitate, sequente

huiusmodi formam : sed forma substantialis erit huiusmodi ratio radicalis, principalis, & prima : qualitas autem erit ratio proxima & immediata ; ut, quare tantum de materia determinatè occupet tantum locum, verbi gratiâ, anum pugillum, vel decem, vel centum ? hoc est, quia talis quantitas determinate est conjuncta tali formæ substantiali, ut puta, terræ, aquæ, vel aëris : & etiam, huiusmodi ratio est, quia est conjuncta tali qualitati ; ut puta tali raritati, vel densitati. Huiusmodi ergo determinationis ratio sumitur ex forma substantiali, & ex qualitate : aliter tamen & aliter, ut est per habita manifestum.

Vade quantitas indeterminata est ratio, cur occupetur locus : determinata vero, cur occupetur tantus locus.

Qualitercumque tamen accipiantur dimensiones determinatæ & indeterminatæ semper indeterminatæ præcedunt formam substantialem in materia : determinatæ verò sequuntur ; & per dimensiones indeterminatas habet materia, quod occupet locum : per determinatas verò, quod occupet tantum locum. Nam ipsa quantitas secundum se, à qua nunquam absolvitur materia, dicitur dimensiones indeterminatas : ipsa etiam quantitas, ut est conjuncta alii & alii formæ substantiali, vel, ut est conjuncta alij & alij qualitati, dicitur dimensiones determinatæ : quia, ut patuit, licet aliter & aliter, ex utroque tamen quantitas terminationem recipit. Et quia quantitas secundum se, præcedit formam substantialem in materia quia quælibet forma, tam substantialis quam accidentalis, advenit materiæ quantæ, cum nunquam materia a quantitate absolvatur) & quia quantitas sic accepta dicitur dimensiones indeterminatæ : consequens est, quod dimensiones indeterminatæ præcedant formam substantialem in materia. Sed, cum quantitati insit determinatio ex conjunctione cum forma substantiali, & cum qualitate ; prius intelligitur recipi forma substantialis in materia, quam sit determinatio talium dimensionum. Propter quod dimensiones determinatæ, ut terminantur per substantialem formam, dicuntur sequi huiusmodi formam : & multò magis tales dimensiones determinatæ, ut suscipiunt determinationem per qualitatem :

ed quod qualitas sit posterior substantiali formæ.

Ex hoc etiam patet, quod, cum materia non occupet determinatum locum per quantitatem secundum se, & ut est dimensiones indeterminatæ : sed per quantitatem, ut est terminata, & ut habet rationem dimensionum terminatarum, benè dictum est, prout in quibusdā aliis operationibus recolimus nos dixisse, quod per dimensiones indeterminatas habeat materia quod occupet locum : per terminatas verò quod occupet tantum vel tantum locum.

Tertiò quantitas materiæ determinatur per aliam & aliam quantitatem : nam eadem quantitas materiæ potest esse sub majori & minori superficie. Potest autem natura in maiorem & minorem superficiem : sed non potest in maiorem, vel minorem quantitatem materiæ. Non enim potest natura facere quod parum de materia fiat plus de materia, nisi per additionem materiæ. Idèd dicitur in *1. De generatione*, in *cap. De augmento*. *Nunquam fit augmentum, nisi adveniente aliquo corporeo*, sic etiam non potest facere natura, quod plus de materia fiat minus, nisi per subtractionem quantitatis materiæ. Idèd etiam in *eodem cap. De generatione* habetur, quod, *non fiat diminutio, nisi per subtractionem, & per recessum alicujus : sicut nec fit augmentum, nisi quia aliquid additur, vel advenit*. In maiorem ergo vel minorem quantitatem materiæ non potest agens naturale : potest autem in maiorem & minorem superficiem : & quod eadem quantitas materiæ, ut est sub forma aquæ, habeat superficiem ad magnitudinem unius pugilli : facta autem sub forma aëris habeat superficiem ad magnitudinem decem pugillorum. Cum ergo ipsa superficies sit quædam quantitas, & cum per aliam & aliam superficiem terminetur materiæ quantitas ; benè dictum est, quod quantitas materiæ possit terminari per aliam & aliam quantitatem.

DICEMVS ERGO, quod materia Quia est fuerit concreta cum sua quantitate, per materiam quam habet quod sit multa, vel pauca : à concreta. qua quantitate nunquam fuit absoluta : & in quam nullum agens naturale naturaliter nec habet nec habuit posse : sed

3. Per aliam & aliam quantitatem superficiem, in quam potest agere natura, non in quantitate ut determinatam.

sed omnes resolutiones formarum factæ per naturale agens præsupponunt tam materiam, quàm quantitatem ejus : & omnes formæ mobiliter inductæ adveniunt materiæ jam quantæ.

Estque idem, quòd corpus in genere quantitatis.

Potest autem & debet rationabiliter sustineri, quod quantitas aliquando fuerit concreta materiæ, & sit illud, quod est corpus in genere quantitatis: Hujusmodi autem corpus terminationem suscipit per aliam & aliam formam substantialem, per aliam & aliam qualitatem, per aliam & aliam quantitatem, sive per aliam & aliam superficiem.

Quod determinatur per jam dicta.

SED QVIA de determinatione per substantialem formam, & per qualitatem est per habita manifestum; potest etiam manifestum esse de determinatione quantitatis materiæ per aliam & aliam superficiem; aliter tamen & aliter; aliter enim dimensiones indeterminatæ & determinatæ sumentur in materia, prout terminus est forma substantialis, vel qualitas: aliter prout hujusmodi terminus est ipsa superficies, quæ est quantitas: nam prout quantitas determinatur per substantialem formam, vel per qualitatem, nullo modo dicere possumus, quod dimensiones indeterminatæ sit ipsa quantitas materiæ: determinatæ vero sit ipsa substantialis forma, vel qualitas: quia substantialis forma, vel qualitas non habet, quod sit dimensio, per se loquendo.

Aliter tamen & aliter.

Secundum hoc ergo quantitas secundum se erit dimensiones indeterminatæ: ipsa etiam quantitas, ut est conjuncta alii & alii formæ substantiali, vel alii & alii qualitati, erit dimensiones determinatæ. Sed prout quantitas materiæ determinatur per aliam & aliam quantitatem; ut-puta, per aliam & aliam superficiem, sic utroque modo possunt accipi dimensiones indeterminatæ & determinatæ; nam ipsa quantitas materiæ secundum se dicitur dimensiones indeterminatæ, & ipsa eadem quantitas, ut est conjuncta alii & alii quantitati; ut-puta, alii & alii superfici, dicitur dimensiones determinatæ;

Cum quantitas determinans, possit dici dimensio determinata, non alia quo.

Rursus quia ipsa superficies est quædam dimensio, & quantitas materiæ potest dici dimensiones indeterminatæ: & superficies determinans hujus-

modi quantitatem dicitur dimensiones determinatæ. Secundum ergo hoc dimensiones determinatæ & indeterminatæ realiter differunt, & habent se quasi materiale, & formale; nam quantitas materiæ, quæ est, dimensiones indeterminatæ se habet quasi quid materiale respectu superfici, quæ determinat hujusmodi quantitatem.

Isto etiam modo accipiendo dimensiones determinatas & indeterminatas, prout realiter differunt, & prout utramque quantitatem important, dimensiones indeterminatæ præcedunt formam substantialem in materia: determinatæ verò sequuntur: & per dimensiones indeterminatas habet materia quòd occupet locum: per determinatas verò, quod occupet tantum locum. Nam, cum à quantitate nunquam absolvatur materia, semper quantitas materiæ præcedit substantialem formam: imò quia eadem quantitas, prout est sub alia & alia speciali forma, vel prout est conjuncta alii & alii quantitati, potest esse sub majori & minori superficie, quantitas determinata dicit ipsam superficiem, & sequitur substantialem formam.

Rursus quia eadem quantitas materiæ potest occupare majorem & minorem locum, prout est terminata per majorem & minorem superficiem: si occupatio loci respiciat quantitatem materiæ indeterminatam, occupatio tanti loci respicit quantitatem determinatam.

QVARTO MODO determinatur quantitas materiæ per seipsam aliter & aliter acceptam; nam sicut in aliis formis potest accipi ratio universalitatis, & specialitatis, & eadem forma sumpta generaliter terminatur per seipsam sumptam specialiter; sic & in quantitate est hoc accipere; nam sicut eadem res potest considerari, ut est corpus, & ut est tale corpus; ut-puta ignis: sic & in dimensionibus; quia ut est corpus sequuntur rem illam dimensiones; ut est tale corpus, tales dimensiones: & sicut ignis prius intelligitur esse corpus, quàm ignis; sic prius intelligitur habere dimensiones, quàm tales dimensiones.

Potest ergo in dimensionibus accipi indeterminatum & determinatum penes

4. Per se ipsam aliter & aliter acceptam.

Vt etiam sit in aliis formis

Quarum esse universale determinatur per speciale

Vnde patet
quod pro-
pter quan-
titates de-
terminatas
& indeter-
minatas
non oportet
ponere
in materia
duo acci-
dentia ejus-
dem spe-
ciei.

nes universale & speciale, sicut & in formis. Patet ergò, quid sunt dimensiones indeterminatæ, & determinatæ? &, quomodo differant secundum rem? &, quomodo secundum rationem? &, quomodo præcedant formam substantialem in materia? &, quomodo sequantur? Patet etiam, quod propter dimensiones indeterminatas, & determinatas non oporteat ponere in materia duo accidentia ejusdem speciei solo numero differentia; nam si per dimensiones indeterminatas intelligamus quantitatem materiæ secundum se: per determinatas verò intelligamus eandem quantitatem materiæ, ut est conjuncta formæ substantiali; ut dicebat primus modus determinationis: vel si per dimensiones determinatas intelligamus, non ipsam quantitatem materiæ secundum se, sed ut est conjuncta tali, vel tali qualitati; ut dicebat modus secundus: vel ut est conjuncta tali aut tali quantitati; ut puta tali, aut tali superficiem; ut dicebat modus tertius: vel si per dimensiones indeterminatas intelligamus quantitatem materiæ sumptam generaliter, per determinatas eandem quantitatem sumptam specialiter, semper eandem rem dicerent dimensiones indeterminatæ, & determinatæ. Si verò per dimensiones indeterminatas intelligamus ipsam quantitatem materiæ: per terminatas verò intelligamus superficiem, quæ est terminus hujusmodi quantitatis: sic dimensiones determinatæ, & indeterminatæ dicunt diversas res, non ejusdem speciei, sed diversarum.

Quomodo
habeant se
quantitas
& terminus
quantita-
tis?

Sunt autem
vel omnino
idem, etiā
numero,
vel diversa
specie.

DICIMVS ERGO, quòd aliquid sit in materia, quod ita est quantitas, quòd nullo modo, realiter loquendo, sit terminus quantitatis; ut, quantitas illa, cum qua fuit creata materia, à qua nunquam materia absolvitur, quæ potest dici corpus. Secundum quam quantitatem possunt signari in materia terminus diametri, longum, latum, & profundum. Aliquid autem ita est terminus quantitatis, quod non sit quantitas; pertinet tamen ad prædicamentum quantitatis; ut punctus. Posset etiam accipi aliud in materia, quod esset terminus quantitatis: quod tamen nec esset quantitas, nec pertineret ad prædicamentum quantitatis; nam, ut dicebatur, quantitas materiæ

terminationem sumit ex ipsa forma substantiali, & etiam ex qualitate: forma autem substantialis, & etiam qualitas, nec est quantitas, nec pertinet ad prædicamentum quantitatis. Aliquid autem in materia est, quod est quantitas, & est terminus quantitatis, ut, superficies, & linea.

ACCIPIENDO ERGO dimensiones indeterminatas pro eo, quod est in materia, quòd sic sit quantitas, ut nullo modo sit terminus quantitatis: pro dimensionibus autem determinatis accipiendo ipsam eandem quantitatem, ut est sub suo termino: vel ipsam quantitatem, quæ est quantitatis terminus, ut ipsam superficiem, quæ terminat quantitatem materiæ: nunquam dimensiones determinatæ, & indeterminatæ dicunt duas res diversarum specierum: quia quantitas, & quantitatis terminus, ut corpus, & superficies ejusdem speciei esse non possunt.

ADVERTENDVM tamen, quòd, cum dicimus, quod quantitas materiæ præcedat formam substantialem, hoc intelligendum sit per accidens, & in fieri; non per se, & in perfici: quantitas enim est medium, ut alibi diximus, per quod materia suscipiat formam, sicut clypeus, est medium per accidens: quòd, si non esset clypeus, fortius percuteretur clypeatus. Sic ex quo materia habet quantitatem, à qua nunquam absolvitur, oportet, quod forma adveniens materiæ recipiatur in materia quanta: quia oportet, quod forma substantialis talem materiam perficiat, qualem invenit: attamen quantitas in susceptione formæ substantialis est medium per accidens: quia, si forma substantialis posset ipsi materiæ secundum se advenire, magis eam perficeret: quia esset illa forma ingenerabilis & incorruptibilis, nec unquam posset materia naturaliter à tali forma absolvi: quia tunc non posset esse subiecta transmutationi & motui: est ergo quantitas ibi medium per accidens.

Rursus est ibi medium in fieri non in perfici: nam quod materia subijciatur transmutationi, & quod non sit sub ista forma substantiali, nec sub illa, hoc est secundum quantitatem, per quam divisibilitatem habet: quia si esset indivisibilis

Quantitas
autem est
quid me-
dium in-
ter mate-
riam &
formam
substantia-
lem, sed
per acci-
dens.

Sicut cly-
peus inter
percutiens
& percus-
sum.

Rursus est
medium
in fieri,
& non per
fici.

Et quomo- do? sibilis non posset naturali transmutationi esse subjecta: attamen in ipso perfici forma substantialis immediatius adhæret materiæ, quàm quantitas: nam, licet forma substantialis adveniat materiæ jam quantæ: non advenit tamen ab existentia: sed ex intimo materiæ educitur, & de ipsa potentia materiæ, quæ realiter non differt ab ejus essentia, educitur forma. Propter quod poterit forma siceducta, quantumcumque inveniatur materiam quantam, immediatius adhærere essentia materiæ, quàm quantitas.

Immediatè equidem perficit materiam formam substantialem, & nisi mediaret quantitas, incorruptibiliter perficeret.

Et quid de anima rationali? ET SI DICATUR, quod aliqua forma substantialis sit ab extra, ut anima rationalis: dici debet, quod & hujusmodi forma sit à tali agente, quod est intimius ipsi materiæ, quàm materia sibi. Quicquid ergò sit in fieri, in perficiendo tamen substantialis forma immediatius adhæret materiæ, quàm quantitas.

Ad propositum autem respondetur. SATIS-FACTO ad id, quòd quæstio quærebat; restat satis-facere ad id, quòd proponebat; Vtrum, scilicet, aliquod agens naturale, vel agens divinum posset in eadem materiâ facere duo accidentia ejusdem speciei? Ad quod dicendum; quòd, cum de potentia Dei quæritur, semper sit dicendum, quòd Deus plus possit, quàm nos possimus ostendere, nisi enim manifestè appareat contradictio, sustinere debemus, quòd Deus possit. Quòd autem hic non appareat contradictio, patet: Nam naturaliter in materia, quantum ad diversas sui partes, possunt esse plura accidentia ejusdem speciei: &, quia materia secundum diversas partes quantitativas non habet esse simul; eò, quòd una pars quantitativa obstat alteri, secundum hujusmodi diversas partes quantitativas potest diversa accidentia suscipere, etiam ejusdem speciei. Si ergo ex diversitate partium quantitativarum habeat esse diversitas receptionum; agens, quod posset facere diversas partes quantitativas simul secundum situm, posset facere diversa accidentia ejusdem speciei simul secundum subjectum; nam partes quantitativæ ex ipso situ distinctionem habent; naturaliter enim, si una dimensio posset esse cum alia dimensione, statim fieret una &

Qualequid est duo accidentia &c. ponere in eodem subjecto.

Sicut duas partes quantitativas simul eodem loco.

eadem dimensio cum illa dimensione: sic etiam si albedo in eadem substantia posset esse cum alia albedine, statim fieret eadem albedo cum ista albedine. Illud ergò agens, quod est tantæ potentia, quòd possit diversas partes quantitativas conservare distinctas ad invicem habentes eundem situm, poterit duo accidentia ejusdem speciei conservare distincta ad invicem: etsi habeant idem subjectum: & quia Deus potest facere, & facit, quod sint duo corpora simul in eodem, situ, poterit facere, quod sint duo accidentia solo numero differentia simul in eodem subjecto; habet enim accidens ex-subjecto distinctionem, sicut partes quantitativæ ex situ.

Quæta- me: natu- raliter solo situ aut sub- jecto di- stinguun- tur.

AD ARGUMENTVM autem in oppositum, Dicendum, quòd subjectum, quod actu perficitur per unam albedinem, non quidem sit in potentia ad illam albedinem: sed non sit inconveniens, quod sit supernaturaliter in potentia ad aliam albedinem. Dicemus enim quòd agens naturale non agat, nisi per transmutationem, & motum. Vnde non generat, nisi corrumpendo; nec corrumpit, nisi generando: propter quod omnes generationes, & corruptiones naturales sunt ex contrariis, & in contraria, ut declaratur in 1. *Physic.* & in 2. *Metaph.* calidum ergò secundum quod hujusmodi transmutatur à frigido. Corpus ergò habens calorem non est in potentia naturaliter ad alium calorem, quia non transmutatur à simili: sed a dissimili. Agens enim, & patiens sunt dissimilia, nisi in fine, quando passum conversum est ad naturam agentis: sed si fieret receptio formæ, non per alterationem, & transmutationem: non per expulsionem, sed per simplicem receptionem: non esset inconveniens, quòd habens formam esset in potentia ad similem formam, & ad formam non differentem specie, sed solo numero. Nam sic videmus in formis intentionalibus, quòd in eodem puncto aëris possint esse, & sint plures intentiones albedinis. Nam, ut probatur in perspectiva, *quilibet punctus cujuslibet coloris multiplicat se ad quemlibet punctum medii.* In eodem ergò puncto medii recipietur similitudo cujuslibet puncti albi. Cum ergò Deus possit age-

Vnde natu- raliter ma- teria ha- bens unam albedinem non est in potentia ad illam, sed supernaturaliter ad aliam.

Et quare?

Declaratur exemplo perspective.

e sine transmutatione, & motu; non oportet, quod educat expoliando, nec quod expoliet inducendo: sed potest ab eo fieri forma in materia per simplicem defluxum ab ipso. Quantum ergo spectat ad propositum, sicut in formis intentionalibus naturaliter possunt esse plures intentiones albedinis in eodem puncto medi; sic supernaturaliter virtutē divinā poterunt esse plures albedines reales in eodem subiecto.

Nec tamen
ita de
formis con-
trariis est
ratiocinan-
dum.

Et quare?

VTRVM AVTEM sic censendum sit de formis contrariis, quod, sicut in eodem puncto medi possunt esse naturaliter intentio albi & nigri, ita supernaturaliter virtute divinā possit esse in eodem subiecto albedo, & nigredo? Investigare non est præsens speculationis. Ad præsens, dictum sufficiat, quod non sit simile de formis contrariis, & de formis solo numero differentibus, quia formæ contrariæ habent repugnantiam in subiecto: sed quod duæ formæ ejusdem speciei in eodem subiecto esse non possint; hoc est, quia non habent tunc per quod distinguerentur. Constat autem, quod nullum agens naturale faciat quod per se repugnat effectui. Potest tamen virtute divinā salvari aliquorum distinctio, quorum per naturam salvari non potest; ut, duæ dimensiones, vel duo corpora, sive duæ quantitates simul existentes possunt esse distinctæ virtute divinā; licet per naturam fieri non possit.

QVÆSTIO

SECUNDA.

*Vtrum Deus simul possit velle
contraria?*

Hanc quæstionem decidi oportet ex his quæ habet Ægidius cum Gregor. Arim. & cæteris Sententiariis in 4. d. 45. & 46. ubi agitur de divina voluntate, ejusque objecto, libero arbitrio, & immutabilitate: Summisit autem Imola & alii 1. p. circa q. 19. item Scot. in 2. d. 38. q. 2. a. 2. cum aliis ibidem citatis ante textum. item quodlib. 5. q. 22. item Ægid. Lustr. 1. 2. l. 2. q. 5. a. 5.

Ægidius verò hic, postquam ostendit speciem intelligibilem esse quandam potentiam activam, eamque posse ducere in cognitionem

bus oppositorum, exponit, ly, simul, diversa posse determinare in verbis quæstionis posita: inde pro diversa determinatione concludit & admittit Deum simul posse contraria velle, vel non posse.



SECUNDO quærebatur de divinā voluntate; Vtrum Deus simul posset velle contraria? Et arguebatur quod sic: quia quicquid facere potest Deus,

potest velle: sed Deus potest simul facere contraria; quia potest facere, quod non facit, & de quocumque proposito verum est, quod possit facere & non facere: si igitur simul potest contraria facere, potest simul & contraria velle.

IN CONTRARIUM EST, quia secundum Philosophum in 4. *Metaphysica*, oppositiones contrariorum sunt contrariæ: pari ratione imò fortè multò magis, volitiones contrariorum sunt contrariæ: si ergo Deus posset simul velle contraria, in eo essent simul contraria, quod non solum in Deo, sed etiam in aliis negamus.

RESOLVTIO.

Si ly, simul, afficiat vocem, possit; Deus potest simul velle opposita: si verò afficiat vocem, velle: Dicendum est, Deum non posse simul velle: quod constat ex determinatione, perfectione, & efficacia divinæ voluntatis.

RESPONDEO Dicendum, quod secundum Philosophum in 9. *Metaphysica*, *Potentia naturales sunt ad unum: rationales ad opposita*; unde per artem Grammaticæ potest quis loqui congruum, & incongruum: & habens in se speciem recti potest facere rectum & obliquum; forma enim existens in intellectu est principium motus, ut dicitur Comment. in 12. *Metaph.* Et potest dici quædam potentia activa, & maximè in formis illis, quæ respiciunt intellectum practicum.

Potentia
rationales
sunt ad op-
posita, qua-
lis est

DICE-

Species in-
telligibilis
quæ est
quædam
potentia
activa.

DICEMVS ENIM, quod, sicut a calore, qui est in agente, fit calor in passio, ita, ut patet in 12. *Metaphysica*, à domo, quæ est in anima, fiat domus in materia. Verum quia calor ita dat esse calidum, ut non det esse oppositum, quia non dat esse frigidum; ideo corpus calidum per calorem, tamquam per suam naturalem potentiam, ita calefacit, ut non infrigidet. Sed quia rectum est iudex sui & obliqui: & per eandem formam cognoscitur propositum & oppositum; ideo agens per intellectum potest opposita facere.

Et potest
ducere in
cognitio-
nem oppo-
situm.

CVM ERGO quæritur, Vtrum Deus possit simul opposita facere, vel simul opposita velle? Hoc simul, vel determinat *ly potest*: vel *ly facere*: simul autem potest: sed non simul facere. Sic etiam simul potest: sed non simul velle. In nobis etiam ipsis videmus, quod homo possit currere, & non currere: non quod simul currat, & non currat: sed quia potentiam habet, ut agat hoc, vel illud, ut sibi placet. Ideo dicitur in 4. *Metaphysica*, Quod contraria sunt in eodem simul in potentia: non tamen in actu.

Quomodo
Deus possit,
& quomo-
do non pos-
sit simul
velle oppo-
sita?

Ex triplici
ratione
concludi-
tur negat.
supposita
dist.

Quod etiam in potentia activa & passiva verificari potest; ut, pictor potest dealbare, & denigrare parietem actu; tamen si facit unum non facit alterum. Et paries potest dealbari & denigrari: sed dum patitur unum, non patitur aliud. Potest ergo Deus facere hoc, & oppositum: sed non simul actu faciet opposita: & potest velle hoc, & oppositum: sed non simul actu velle opposita.

POSSVMVS AVTEM triplicem rationem tangere, quare si *ly, simul*, determinet *ly, velle*, non possit Deus simul velle opposita. Vna ratio sumitur ex determinatione voluntatis divinæ. Alia ex perfectione ejus. Tertia ex parte effectus.

Quorum
1. est.

PRIMA RATIO sic patet. Imaginabimur enim, quod species existens in intellectu sit iasi quædam potentia activa, per quam potest agens per intellectum agere, & non agere: sed quod fiat hoc vel illud, oportet, ut determinetur per voluntatem: ideo intellectus fit practicus extensione, prout se extendit, scilicet, ad voluntatem. Ideo dicitur in 6. *Metaph.* Idem est artifi-

ciatum & volitum. Forma enim artis non procedit in opus, nisi determinetur per voluntatem. Et quia illud dicimur velle, ad quod determinate nos habemus: dicimur tamen posse aliquid, etsi non simus determinati ad id: ideo esse potest, quod simul quis possit contraria: non autem esse potest, quod simul velit. Ipsa ergo determinatio voluntatis nos docet quod esse non possit, quod Deus simul velit contraria. Vnde in 5. *Ethicorum* dicitur. Neque enim eundem habet modum in scientijs, & potentijs, & habitibus. Potentia enim, ut ibi dicitur, & scientia videntur contrariis eadem esse: habitus autem contrariis ex contrariis. Habitus ergo, quia determinate inclinatur in aliud, unus & idem non est contrariorum, nec possumus simul habere habitum ad contraria: sed quia potentia rationalis non determinate respicit hoc, vel oppositum, sicut nec scientia; ideo talia sunt contrariorum. Voluntas ergo ratione determinationis non potest simul se habere ad contraria: ideoque non potest esse, quod Deus simul velit opposita.

Determinatio divi-
næ volun-
tatis.

Aliiter velle,
aliter
posse dica-
mur.

SECVNDA VIA sumitur ex perfectione voluntatis divinæ. Nam vult & non vult piger; quia non perfecte vult: ideo quodammodo opposita vult: unde Augustinus 8. *Confess.* vult, Quod cum imperat animus corpori, fit quod imperat. Vt, si imperet motum manui, secundum ejus imperium movetur manus. Imperat tamen animus sibi, & non fit quod imperat; Imperat enim, ut ait, animus, ut velit: nec fit quod imperat: nec propter hoc vult animus. Si ergo animus imperet sibi, & non velit prout imperat, vult ergo & non vult: sed hoc est, quia non perfecte vult. Ideo ibidem dicitur, Quod imperat inquam animus, ut velit, quod non imperaret, nisi vellet: & non fit, quod imperat: quia non ex toto vult. Imperfecte autem possunt esse contraria simul: sed perfecte non. Cum ergo nefas sit dicere, divinam voluntatem imperfectam esse; consequens est, quod esse non possit, quod simul contraria velit.

2. Sumitur
ex perfe-
ctione di-
vinæ vo-
luntatis
quæ non
vult imper-
fecte, ut
piger.

TERTIA VIA sumitur ex parte effectus. Nam Deo velle est facere, ut dicit Magister 2. *Sententiarum* d. 1. statim, enim quando Deus vult, ad illud velle sequitur effectus, sicut vult. Ideo

3. Ex parte
effectus.

Divinum
enim velle
est facere.

dicatur 3. *De Trinitate cap. 4. Quod divina voluntas est summa & suprema causa omnium rerum.* Si ergo ad divinum velle sequatur effectus: si posset esse, quod Deus simul vellet hoc, & oppositum; posset esse, quod simul fieret hoc, & oppositum: hoc autem est impossibile; ergo & primum.

AD ARGVMENTVM autem in oppositum dicendum: quod Deus posset simul contraria facere; si *ly, simul*, determinet *ly, potest*: quia potest esse quod simul possit contraria. Non autem hoc esse potest, si, *simul*, determinet *ly, facere*; quia non potest esse, quod simul contraria faciat. Sic etiam dicendum est de ipso velle: quia potest simul contraria velle, si *ly, simul*, determinet *ly, potest*: non autem, si determinet *ly, velle*: quia esse non potest, quod simul contraria velit.


QVÆSTIO

TERTIA.

An & quid divina relatio superaddat divinæ essentiae?

De distinctione & identitate relationis & essentiae divinae tractat Ægidius 1. d. 30, 33. & 34. & cum eo ibidem Arimin. Gerard. Senentis, Argentinas, & ejus discipulus Marfil. Francisc. A Castro. Alphons. Tol d. 41. item ibid. D. Tho. & 1. part. quæst. 28. & 39. cum suis. Scot in 1. d. 26. quæst. un. & 34. Bonav. d. 33. quæst. 2. Herv. Maro, Durand. Occam & Nom. ibid. Molin. quæst. 28. La Rua tom. 1. cont. c. 2. Scol. Ægid. Luc. 1. 2. l. 5. q. 13. & alii infiniti.

Ægidius verò hic, declarat, quomodo se habeat relatio ad nostrum intellectum, subiectum, oppositam relationem, & ad alia prædicamenta? concludit, relationem, præter fundamentum reale, dicere in divinis ordinem ad alium, quam essentiae superaddat.



TERTIO Quærebatur de divina relatione; quid adderet supra divinam essentiam? & arguebatur, quod nihil adderet: quia si adderet liquid, vel adderet esse, vel essentiam, vel ratione: sed non potest dici, quod divina relatio, ut-puta divi-

na paternitas, addat esse supra divinam essentiam: quia illud esse vel esset in Filio, vel in Patre: non in Filio; quia tunc Filius esset pater: nec in Patre; quia tunc Pater haberet aliquod esse per Filium: cum enim Pater sit Pater, quia refertur ad Filium; si paternitas supra divinam essentiam adderet esse in Patre sequeretur, quod Pater haberet esse ex eo, quod referatur ad filium. Rursus dici non potest quod illud, quod addit, sit aliqua essentia; quia tunc Pater esset compositus. Nec etiam dici potest, quod sit ratio; quia illa ratio vel diceret aliquam rem; & tunc esset in Patre compositio: vel non diceret rem aliquam; & tunc esset cassa & vana.

IN CONTRARIVM EST, quod possit esse realis relatio in creatura absque mutatione ejus; ut-puta aliquid fieri simile, nullâ mutatione factâ in ipso: multò igitur magis poterit esse realis relatio in Deo, absque mutatione ejus: sed realis relatio aliquid addit. Ergo &c.

RESOLVTIO.

Cum relatio non dicat aliquam rem, neque habeat esse ab esse fundamenti distinctum, neque faciat compositionem, sed distinctionem; divina relatio supra hoc, quod dicat fundamentum reale, addit solummodo ordinem ad alium.

RESPONDEO Dicendum, quod, ut pateat veritas quæsitæ, duo ^{Ad quod sunt duo, declaranda.} sint declaranda; Declarandum est enim, quomodo relatio se habeat ad nostrum intellectum? Quia si relatio non sit nisi apud intellectum, tunc certum est, quod nihil addat nisi secundum modum intelligendi. Secundò declarandum est, quomodo se habeat relatio ad alia prædicamenta? Quia si relatio sit aliquid in re, & secundum suam quidditatem dicat aliquam rem, sicut dicunt aliqua prædicamenta, & res illa non transeat in divinam substantiam, compositionem faciet cum divina essentia.

EX HIS ERGO duobus, scilicet, ex habitudine relationis ad intellectum, & ad

& ad prædicamenta alia, poterit veritas declarari.

1. Quomodo relatio se habeat ad nostrum intellectum?

PROPTER PRIMVM Sciendum, quòd, ut recitat Avicenna in 3. *Metaphysica in cap. 1. De relatione*, quidam voluerint, quod relatio non esset aliquid nisi secundum intellectum: quod dupliciter declaraverunt; nam relatio colligationem & habitudinem habet, & ad oppositum relativum, & etiam ad subiectum: sed unum relativum refertur ad aliud per relationem: si ergò quæramus de relatione, quomodo referatur ad subiectum? Dici debet, quod habeat colligationem & habitudinem per aliquam relationem, & illa relatio habeat talem habitudinem per aliam relationem; ibitur ergò in relationibus in infinitum: sed secundum aliquos, & etiam secundum ipsum Avicennam, in iis, quæ sunt rationis; potest iri in infinitum: non autem in iis, quæ sunt rei. Si ergò in relationibus itur in infinitum, sequitur, quòd relatio sit quid rationis, & non quid rei.

Quomodo referatur ad subiectum &c. & oppositam relationem?

SECUNDO hoc idem declaraverunt, quia relatio potest esse respectu non entis; ut, nos præsentis dicimur respectu primorum, qui non sunt; vel respectu futurorum, qui nondum sunt: sed ad non ens non potest esse ordo realis: ergò relatio est secundum rationem tantum.

Sed, ut Idem Avicenna ait in eodem *lib. & cap.* Pater est verè Pater, Filius est verè Filius, etsi nullus esset intellectus esset, qui hoc intelligeret: & aliquid est sursum & deorsum, etsi nullus esset intellectus, qui de hoc consideraret. Vtrum autem hæc dicta sufficienter ostendant, relationem esse aliquid secundum rem? Non est quidem præsentis speculationis; dicere tamè possumus, quòd, eo ipso, quòd inveniamus relationem habere reale fundamentum in re, & habere realem differentiam ad suum relativum, vel ad suum oppositum, oporteat relationem illam realem esse.

2. Quomodo se habeat ad alia prædicamenta?

Objectiones ergò in contrarium petunt sibi quasdam difficultates solvi: sed non ostendunt, quòd relatio nihil sit nisi secundum intellectum tantum: nam cum dicunt, quod relatio habeat habitudinem ad subiectum, & quòd habeat per relationem; dici debet, ut

Avicenna dicit, quod hoc habeat per relationem, sed non per aliam relationem; ut, simile fertur ad simile per similitudinem: ipsa autem similitudo ad simile oppositum, vel ad simile subiectum non refertur per relationem aliam, sed per seipsam. Sicut enim quod differt differentiâ differt: ista autem differentia, secundum quod huiusmodi, differt seipsa: & sicut principiata distinguuntur per principia; ipsa tamen principia distinguuntur seipsis; sic etsi relationes referantur per relationes, si ipsæ seipsis; non autem oportet hoc esse per alias relationes. Quod verò addebatur, quòd præsentis referantur ad præteritos, qui non sunt, & ad futuros, qui nondum sunt; dici debet, quòd aliqua relatio sit secundum rationem tantum: sed non propter hoc arguitur, nullam relationem esse realem; relatio enim importat simultatem & distinctionem: poterit ergò esse relatio rationis tantum, quia deficit distinctio; ut, si dicatur, idem est eidem idem: vel quia deficit ibi simultas secundum rem, & non est ibi simultas nisi secundum rationem tantum; sicut præsentia referuntur ad præterita, non quòd simul sint secundum rem homines præsentis & præteriti: sed quia intellectus simul potest apprehendere utrosque. Est igitur relatio aliquid secundum rem, non obstante, quòd sit aliqua relatio secundum rationem tantum.

VISO, quomodo relatio se habeat ad intellectum? determinare volumus, quomodo se habeat ad prædicamenta alia? Possumus autem dicere, quod in tribus differat relatio ab aliis prædicamentis.

A quibus tripliciter distinguitur.

Vno modo differt quantum ad quidditatem; nam cætera prædicamenta secundum suam quidditatem sunt aliquid: relatio verò secundum suam quidditatem non est aliquid: unde & in quæstionibus nostris de mensura Angelorum, ubi distinximus prædicamenta, diximus, quod prædicamenta vel significant ipsam rem, vel ipsum ordinem, vel rem sub ordine: ipsam autem rem significant substantia, qualitas & quantitas; huiusmodi enim tria prædicamenta sumuntur secundum ipsam rem. Ipsum

1. Secundum quidditatem: quia omnia alia dicunt aliquam rem, non relatio.

Vnde ponuntur tres ordines prædicamentorum.

ordinem significat relatio. Rem sub ordine significant illa sex prædicamenta, de quibus agitur in sex principiis. Inde est, quòd nullum aliud prædicamentum sit secundum rationem tantum: quia omnia alia prædicamenta à relatione dicunt ipsam rem, vel secundum se, vel sub aliquo ordine relativo: ipsa autem relatio dicit ipsum ordinem. Cum ergò ordo sit ad aliquid: idèò relatio secundum suam quidditatem non est aliquid, sed ad aliquid.

Secundum esse: quod non habet ab esse fundamenti distinctum.

3. Quia non componit sed distinguit.

Secundò differt relatio ab aliis prædicamentis, non solum quantum ad quidditatem: sed etiam quantum ad esse; nam relatio non habet aliud esse ab esse fundamenti: quòd de aliis prædicamentis universaliter dicere non possumus.

Tertiò differt, quòd relatio non faciat compositionem, sed distinctionem. Nam relatio vel considerabitur quantum ad suum esse: & quantum ad hoc non habet aliud esse ab esse fundamenti; ut similitudo non habet aliud esse, nec aliud inesse ab esse albedinis. Idèò quantum ad esse nullam compositionem facit supra suum fundamentum; non est enim quis compositior ex eo, quod sit albus & similis, quàm ex eo, quod sit albus tantum. Sed si consideretur relatio quantum ad suam quidditatem; sic nihil ponit in eo, de quo dicitur: sed totum suum esse est ad aliquid se habere. Hoc ergò modo non facit compositionem in aliquo: sed facit distinctionem ab alio; cum hoc modo non dicat aliquid in alio, vel in aliquo: sed dicat aliquid ad aliquid, vel ad aliud.

Vnde divina relatio dicit fundamentum reale & addit divinæ essentiae ordinem ad alium.

CVM ERGO quæritur, quid addat relatio divina supra divinam essentiam? Dici debet, quòd in divinis sit relatio realis: quia præsupponit reale fundamentum: & facit ibi realem distinctionem. Hujusmodi autem realis relatio addit supra divinam essentiam ordinem ad alium: secundum quem ordinem in divinis non est compositio, sed distinctio.

QVOD VERO obijciunt in contrarium; quod ille ordo, & illa relatio dicat rem aliquam: & ita fiat ibi compositio; dici debet, quod dicat rem relatam, & dicat ordinem ad aliquid:

secundum quem ordinem non habeat esse compositio in divinis, sed distinctio.

DISPUTATIO

SECUNDA.

De Deo quantum ad naturam assumptam.



OSTEA quærebatur de Deo, id est, de Dei Filio, quantum ad naturam assumptam. Dei autem Filius secundum naturam assumptam, quantum ad præ-

sens spectat, ad tria poterat comparari; videlicet ad Virginem, cujus Filius erat. Et circa hoc erat quæstio; Vtrum Christus in triduo mortis posset dici Filius Virginis? Secundò, quantum ad naturam assumptam, poterat comparari Christus ad tempus, sub quo vivebat. Et circa hoc erat quæstio; Vtrum esset dare ultimum instans, in quo Christus vivebat? Tertiò poterat comparari ad Sacramentum Eucharistiæ, quod instituerat. Et circa hoc erat quæstio; Vtrum sanguis Christi existens sub gutta speciei vini per appositionem vini posset definire esse hujusmodi sanguis Christi?

Triplex salvari potest veritas alicujus dicte.

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI IV.

An Christus in triduo mortis fuerit Filius Virginis?

Reducta est hæc quæstio ad 3. sent. dist. 22. quæst. un. princ. art. 1. tractatque eam D. Thom. 3. p. quæst. 2. art. 5 & quæst. 50. art. 4. Cum Discip. & in 3. d. 22. quæst. 1. art. 1. Scot. quæst. un. cum suis. Dur. quæst. 1. & d. 26. quæst. 2. Gabriel quæst. 1. & Nom. Suarez 3. p. tom. 1. d. 7. sess. 4. & alii.

Aegidius verò hic docet tripliciter aliquid posse dici verum: fatetur deinde duobus modis veram esse partem affirmantem, tertio negantem: & probat triplici fundamento: explicatque assertum Damasceni, quo docet

docet, in Christo non esse communem speciem accipere.



AD PRIMVM sic procedebatur. Ostendebatur, quod Christus in illo triduo fuerit Filius Virginis: nam Christus non fuit Filius Virginis, nisi quia assumpsit carnem de Virgine: sed in illo triduo carnem non deposuit; quia semper fuit verbum unitum carni: ergo nec filiationem perdidit: sed semper fuit Virginis Filius:

IN CONTRARIVM verò est; quia Christus in illo triduo non erat homo: ergo non erat Filius hominis.

RESOLVTIO.

Christus in triduo mortis simpliciter & propriè non fuit Filius Virginis: cum filiatio dicat vitam, & similitudinem in natura: benè tamen secundum communem modum loquendi impropriè, & per synecdochen.

RESPONDEO Dicendum, quòd aliqua verificentur secundum communem modum loquendi: aliqua per synecdochen: aliqua simpliciter & propriè; multa enim admitt communis modus loquendi, quæ non sunt vera secundum proprietatem locutionis. Cum ergo quæritur; Vtrum Christus in illo triduo fuerit Filius Virginis? Si loquamur secundum communem & vulgarem modum loquendi, potest verificari quod fuerit Filius Virginis; quia vulgares sic loquuntur. Potest etiam verificari per synecdochen; ut, dicimus, quod B. Petrus in paradiso sit: sed hoc est per synecdochen; quia est ibi anima ejus: & dicimus de aliquo homine mortuo, quod sit in sepulchro: sed hoc per synecdochen; quia est ibi corpus ejus. Sic etiam Filius Virginis erat in sepulchro; quia erat ibi corpus, quod extraxit ex Virgine: & Filius Virginis descendit ad inferna; quia descendit ibi Christus secundum animam, cui animæ unitus fuerat in utero Virginis. His ergo modis verificari potest, quod dicitur.

Sed si loquamur simpliciter & propriè, Christus in illo triduo non erat Filius Virginis: quod tripliciter declarari potest, secundum, quod filiatio tria importare videtur. Nam filiatio dicitur quid pertinet ad res vivas, dicit assimilationem, & dicit assimilationem fundatam in natura.

PRIMA VIA sic patet: si enim aliquid oriatur ex alio, vel fiat ex aliquo, nisi illud, ex quo fit, & etiam illud, quod fit, sit quid vivum non dicitur Filius ejus; si enim fiat idolum ex lapide non dicitur filius lapidis: si ergo filiatio dicat quid pertinet ad res vivas, quod non est vivum non potest esse filius: & quia Christus secundum id, quod habuit à Virgine, in illo triduo non erat vivus; imò erat mortuus, consequens est, quod non posset dici Virginis filius.

SECUNDA VIA sumitur ex eo, quod filiatio dicat assimilationem: non solum enim filiatio est pertinet ad res vivas: sed etiam assimilationem importat; nam non sufficit, quod id, quod oritur ex aliquo sit quid vivum, ad hoc quod sit ejus filius: sed oportet, quod assimiletur ei à quo oritur: nam ex hominibus vermes oriri possunt, vel pediculi: non tamen sunt filij hominis; quia non assimilantur hominibus: ita quia Christus in illo triduo non erat homo, non poterat dici filius hominis; assimilatio enim, quæ requiritur in filiatione, est, quod filius habeat eandem, vel similem naturam cum eo, cujus est filius: sic quod non est homo non est filius hominis.

TERTIA VIA sumitur ex eo, quod filiatio non solum dicat quid pertinet ad res vivas, & assimilationem: sed quod dicat etiam assimilationem fundatam in natura: hoc autem est commune omnibus relationibus, quòd sublato fundamento non maneat relatio: ut, si similitudo fundetur in albedine, amota albedine non remanebit simile. Sic, quia filiatio, secundum hominem fundatur in natura humana; amota natura humana non remanebit filiatio: natura autem humana, non dicitur anima secundum se, nec corpus secundum se: sed filiatio dicit hæc unita ad invicem; humanitas enim, sive natura humana resultat ex unione animæ ad carnem; sicut relationis.

Ex communi modo loquendi, per synecdochen, & ex proprietate sermonis.

Duobus prioribus modis verum est, Christum esse Filium.

Non ultimus.

Quod probatur triplici via.

1. Quia filiatio dicit rem vivam:

Vnde idolum non est filius.

2. Quia dicit assimilationem.

Vnde vermes non dicuntur filij hominis.

3. Quia assimilatur in natura.

Vnde cum sublato fundamento, tollatur relatio.

Et humana natura in Christo sit fund. istius sicut relationis.

Defuit hæc
in illo tri-
duo.

sicut natura cuiuslibet rei compositæ resultat ex unione materiæ ad formam; essentia enim rei compositæ non est materia, nec forma: sed est essentia composita ex utrisque.

Quomodo
in Christo
ex 2. nat.
non fuerit
conflata
una spe-
cies?

Vnde cum ait Damascenus, *quod in Christo Iesu non est communem speciem accipere*, intelligendum est, quantum ad naturam creatam & increatam: quia ex illis duabus naturis non resultavit communis species, id est, non fuit inde conflata tertia natura: non autem intelligendum est, quantum ad animam & carnem: quia sic in *Christo Iesu*, sicut & in aliis hominibus fuit communem speciem accipere; nam in *Christo Iesu* ex anima & carne resultavit communis species, & fuit inde conflata tertia natura, quæ dicitur humanitas, sicut & in omnibus aliis. In hac autem communi specie, & in hac natura tertia conflata fundabatur relatio filiationis, per quam referebatur ad matrem. Nam licet relatio competat ipsi supposito (quia natura non dicitur filius: sed suppositum) competit tamen ei mediante natura. Vnde & à Magistro Sententiarum, & à Sanctis signatur ratio congruitatis, quare fuerit Filius incarnatus, & non Pater, nec Spiritus sanctus; ut non esset discordantia; ut, quod alius esset Filius in Deitate, alius in humanitate: sed fuit Filius incarnatus; ut ille, qui erat ab æterno in Deitate Dei Filius, fieret in tempore, & in humanitate hominis filius.

Cum ergo in illo triduo non esset ibi humanitas (quia non erat ibi anima unita carni, ex qua unione resultat humanitas) non erat ibi filiatio in humanitate fundata: & per consequens, non erat Christus, simpliciter & propriè loquendo, in illo triduo hominis Filius.

AD ARGVMENTVM autem in contrarium dicendum, quod Christus fuerit Filius Virginis propter carnem, quam assumpsit ex Virgine: sed caro illa, quam assumpsit, fuit animata & viva, non inanimata & mortua: recedente ergo animâ & corpore & carne ejus existente mortua, quia non erat Christus, propriè loquendo, homo, non erat, propriè loquendo, hominis filius.


QVÆSTIO II.

QVODLIBETI V.

Vtrum sit dare ultimum instans, in quo Christus vivebat?

Translata est hæc quæstio in 3. tent. d. 21. p. 1. q. 1. princ. 2. up. item materiam de inceptione & desirione rerum habet Ægid. lib. 8. phys. A lect. 22. & l. 6. a l. 6. item de tempore ejusque compositione l. 4. a lect. 18. Tractant etiam Philosophi passim l. 8. Phys. Conimbr. cap. 8. q. 2. Mendoz. Phys. d. 15. scilicet 4. & alii alibi.

Ægidius verò hic resolvit negativè: quod extendit ad quamlibet rem, quæ corrumpitur, quam supponit mensurari motu primi mobilis, dicitque in ejus duratione non dari duo instantia sibi mutuò immediate succedentia. Deinde tribus rationibus ostendit, quomodo instans temporis, quod intercedit inter duo tempora, semper attribuendum sit tempori posteriori & rei in illo existenti; non autem priori. Tandem resolvit negativè.



ECVNDQ Quærebatur de Filio Dei, quantum ad naturam assumptam, per comparationem ad tempus, sub quo vivebat; Vtrum esset dare ultimum instans vitæ ejus? Et arguebatur: quia quicquid vivit in aliquo tempore vivit in quolibet illius temporis: loquendo ergo de tempore in quo vixit Christus, vivebat in quolibet illius temporis: ergo vivebat in ultimo instanti illius temporis.

IN CONTRARIVM EST: quia, si esset dare ultimum instans, in quo vivebat: cum etiam sit dare primum instans, in quo fuit mortuus, & inter quolibet duo instantia sit dare tempus medium; in illo tempore medio, nec fuisset vivus, nec mortuus. Nam illud tempus fuisset post ultimum instans vitæ; ergo in illo tempore non vixisset: & fuisset ante primum instans mortis; ergo non fuisset mortuus: quod est inconveniens.

RESOLVTIO.

Non datur ultimum instans, in quo Christus vivebat, sed primum, in quo incepit esse mortuus.

Accommo-
datur
quæstio ad
alias res
declinantes.

RESPONDEO Dicendum, quòd hæc quæstio mota de vita Christi adaptari possit ad corruptionem cuiuslibet rei: ut, si ex igne fiat aqua, si sit dare ultimum instans in quo est ignis, & primum, in quo est aqua, in tempore medio non esset ignis, neque aqua.

Quæ sicut
vita Chri-
sti mort,
mensuran-
tur motu
primi mob.

Dicemus ergò, quòd tempus, quo mensurantur res corruptibiles, & quo mensuratur vita Christi, prout vivebat vita mortali, fundetur in motu primi mobilis: & quia motus primi mobilis semper est continuus, oportet huiusmodi tēpus, quamdiu durat, esse quid continuum: in continuo autem non est dare duo indivisibilia simul. Cum ergò ex vivo sit mortuum, vel cum ex aliquo sit aliquid, non est ibi dare duo instantia sine tempore medio: sed est ibi dare unum solum instans copulans unam partem temporis cum alia: si ergò ex igne fiat aqua (quia nunquam est signare medium, in quo nec sit ignis, nec sit aqua) non dabimus ultimum instans, in quo sit ignis, & primum, in quo sit aqua: quia inter illa duo instantia caderet medium: inter esse verò ignem & esse aquam nullum cadit medium. Vel ergo dicemus, cum ex igne sit aqua, quòd per totum tempus fuerit ignis, & in instanti, ad quod copulatur illud tempus, inceperit esse aqua: vel quod in ultimo instanti illius temporis fuerit ignis & in tempore, quod immediatè copulabatur ad illud instans, fuerit aqua. Sunt ergo ibi duo tempora, unum, in quo est ignis, & aliud, in quo est aqua: sed inter illa duo tempora non cadit, nisi unum instans. Illud autem instans vel dabimus igni, qui esse desinit, vel aquæ, quæ esse incipit. utrique enim illud instans dare non possumus; quia non potest esse, quòd in eodem instanti sit aliquid ignis, & aqua. Nec potest dici, quod neutri detur: quia, cum ex aqua sit ignis, nullum est dare instans, in quo nec sit aqua, nec ignis. Igitur si huiusmodi instans dandum est

In Quo,
sicut & in
al is cen-
tinuis, non
dantur duo
indivisi-
lia simul.

Est enim
indivisi-
bile tempus
inter duo
tempor.

Quod sem-
per est an-
numerau-
dum tem-
pori poste-
riori & re-
bus in eo
incipien-
tibus.

alteri eorum, secundum sententiam Philosophi in 8. *Physicorum*, dandum est posteriori. Si ergò ignis sit aqua, quia prius fuit ignis, & postea aqua, non dabitur ultimum instans, in quo fuit ignis: Sed dabitur primum instans, in quo incipit esse aqua. Sic in proposito, si aliquid prius sit vivum: & postea incipiat esse mortuum, non dabimus ultimum instans, in quo vivebat, sed primum, in quo incepit esse mortuum; dicemus ergo, quod per totum tempus vivebat, & in instanti, quòd copulabatur ad illud tempus, incepit esse mortuus.

Ob tres
rationes:

Possimus autem assignare triplitem rationem ejus, quod ait Philosophus in 8. *Physicorum*; videlicet, quod *instans semper est posterioris rei, & non prioris*. Prima ratio sumitur ex parte ejus quod est de tempore. Secunda ex parte partium temporis: Tertia ex parte ipsius temporis.

PRIMA sic patet. Dictum est, quod non sit dare, nisi unum instans inter duas partes proximas temporis. Dictum est etiam, quod illud instans non possit utriusque rei esse, prioris scilicet & posterioris; quia tunc simul esset aliquid sub oppositis formis. Nec etiam esse potest, quod sit nullius; quia tunc in transmutatione esset dare instans, in quo subiectum nec esset sub forma proposita, nec sub opposita: quod esse non potest, cum agens naturale expoliando inducat, & inducendo expoliet: dabitur ergo illud instans alteri tantum; dignius est autem, quod detur rei posteriori, quæ magis habet de entitate (quia esse incipit) quàm rei priori, quæ minùs habet de entitate; quia esse desinit. Oportet autem in mensura quandam analogiam observare; ut quod plus habet de entitate detur ei quod plus habet de entitate: Instans autem plus habet de entitate, quàm tempus: ideò dari debet rei, quæ plus habet de entitate: tempus autem, quòd habet minùs de entitate, dabitur rei, quæ minùs de entitate habet. Quod autem instans plus habeat de entitate, quàm tempus, patet ex parte ejus, quod est de tēpore. Nam non est de tempore nisi instans: si ergo de tēpore non est nisi instans, consequens est, quod instans plus habeat de entitate, quàm tempus.

Quod ha-
bet plus de
ratione en-
titatis,
quàm tem-
pus.

Sicut etiā
res poste-
rior, quā
prior.

2. Ex parte
partium
temporis.

Existētia
successivo-
rum diver-
sa ab exi-
stētia per-
manen-
tium.

Horum
exi-
stētia
quippe
constitit
in simul-
tate, illo-
rum in or-
dine par-
tium.

3. Ex parte
ipsius tem-
poris.

Ex parte itaque mensurarum sunt duo, quorum unum plus habet de entitate, ut instans: aliud verò minus, ut tempus; res etiam mensurate sunt duæ, quarum una minus habet de entitate, ut res prior, quæ esse definit: alia verò plus, ut res posterior, quæ esse incipit: res enim prior tendit ad non esse, res posterior incipit esse. Instans ergo, quod plus habet de entitate, dabitur rei posteriori; ut, si materia prius sit sub forma ignis, & postea sub forma aquæ; instans illud medium, quod dividit inter tempus, in quo prius fuit ignis, & aliud in quo postea est aqua, non dabitur rei priori, id est igni, qui esse definit: sed posteriori, id est aquæ, quæ esse incipit: priori autem dabitur tempus; nam, ut diximus, per totum tempus fuit ignis, & in instanti incipit esse aqua.

SECUNDA VIA ad hoc idem sumitur ex parte partium temporis: ostensum est enim, quod instans plus habeat de entitate, quā tempus, ex parte ejus, quod est de tempore; quia non est de tempore nisi instans. Sed, quod verum sit, hoc instans plus haberet de entitate, quā tempus, patet ex parte partium temporis, nam aliter sunt successiva, & aliter permanentia; esse enim permanentiū est in simultate partium, successivorum verò in ordine partium: ut, ideò motus est, quia partes ejus secundum quendam ordinem sibi ipsi succedunt: sic etiam & tempus est; non quia partes temporis simul sunt: sed quia sibi invicem ordinate succedunt. Iste autem ordo partium temporis non potest fundari, nisi in eo, quod est de tempore; seu in ipso nunc. Igitur nunc, in quo fundatur ordo partium temporis, ex quo ordine dicitur esse tempus, habebit plus de entitate, quā tempus. Arguatur igitur tunc ut prius; quod si instans plus habet de entitate, quā tempus, dabitur rei posteriori, quæ entitatem accipit, & quæ esse incipit, non priori, quæ entitatem perdit, & quæ esse definit.

TERTIA VIA ad hoc idem sumitur ex parte ipsius temporis: imaginabimur enim, quod *nunc* sit id, quod fluit: tempus autem est ipse fluxus: ideò tempus materialiter est idem, quod motus: *Nunc* vero est idem, quod substantia

rei mobilis. Cum ergo mobile, vel substantia rei mobilis plus habeat de entitate, quā motus; *nunc* plus habebit de entitate, quā tempus, ergo dabitur ipsum *nunc*, quod plus habet de entitate, rei posteriori, quæ esse incipit, non priori, quæ entitatem perdit.

SI ERGO Christus prius fuit vivus, & postea incepit esse mortuus, instans illud, quod dividebat inter tempus vitæ, in quo anima erat conjuncta corpori, & tempus mortis, in quo anima erat sepeparata, non dabitur conjunctioni animæ, quæ esse definit: sed separationi, quæ esse incipit: non ergo dabimus ultimum instans, in quo anima fuit conjuncta corpori: sed dabimus primum instans, in quo fuit separata à corpore: dicemus ergo, quod per totum tempus Christus fuerit vivus, & fuerit anima conjuncta corpori: & in instanti, quod copulabatur ad illud tempus, fuerit anima separata.

AD ARGVMENTVM autem in contrarium dicendum, quod, quicquid vivit in aliquo tempore vivat in quolibet illius temporis, verum sit, prout vivit in illo tempore: Christus autem vixit per aliquod tempus cum exclusione instantis, ad quod copulabatur illud tēpus; illud autem instans non erat illius temporis, prout erat mensura vitæ, quia non pertinebat ad vitam, cum in illo instanti esset mortuus. Vixit ergo Christus per aliquod tempus: & vixit in quolibet illius temporis, prout illud tempus pertinebat ad vitam. Ex hoc tamen non sequitur, quod vixerit in ultimo instanti illius temporis: quia illud ultimum instans, ut dictum est, non pertinebat ad vitam.

Quod est
fluxus, in-
stans autem
illud, quod
fluit.

Hinc non
dabitur
ultimum
instans vi-
tæ; sed
primum
mortis
Christi.

QVÆSTIO III.

QVODLIBETI · VI.

*Utrum sanguis Christi existens sub specie
guttæ vini possit desinere per
appositionem alterius vini?*

Discutit hanc quæstionem Ægidius lib. Theor. de corpore Christi Th. 49. Cæterum debet resolvi quæstio (ut patet ex hoc textu) juxta resolutionem istius quæstionis; Utrum & qualiter ob specierum corruptionem de-

finat

finat corpus vel sanguis Christi? quam tractant passim Theologi, cum D. Thoma 3. p. quæst. 76, art. 6. Cajet. ibid. Suarez d. 54. sess. 1. Præpof. d. 3. Hurtado & alii.

RESOLVTIO.

Ægidius verò hic duplici viâ investigat veritatem. Primò ex naturalibus scilicet continuo, quod ait dividi posse in infinitum, si consideretur ut quantum; non tamen ut corpus naturale: unde secundùm hanc ultimam rationem docet dari minimum, infra quod non: quod ait locum etiam habere in pane. Secundò ex ipso hoc Sacramento, quod ait fieri per transsubstantiationem quâ tota substantia panis & vini convertitur in corpus & sanguinem Christi, quæ ponuntur tota sub totis speciebus, & tota sub singulis earum partibus.



TERTIO quærebat-
tur de natura assum-
pta à Verbo per com-
parationem ad Sacra-
mentum Eucharistiæ:
& erat quæstio de san-
guine Christi existen-
te sub gutta speciei vini; Vtrum per
appositionem vini posset ibi definire
esse sanguis: & arguebatur quod non:
quia non fit corruptio, nisi à contrariis:
si ergo per vinum appositum definirer
sanguis Christi esse sub gutta speciei vi-
ni, oporteret quod huiusmodi vinum
haberet contrarietatem ad illam gut-
tam: huiusmodi autem contrarietas, vel
esset ratione formæ vini, vel ratione di-
mensionum: non ratione formæ, quia
positum est, quod apponatur vinum, &
quod sit ejusdem rationis vinum appo-
situm cum illa gutta: nec ratione di-
mensionum; quia secundùm dimensio-
nes non accipitur in rebus contrarietas:
sed secundùm oppositas qualitates.

IN CONTRARIUM EST: quia,
si superfunderetur ibi vinum super hu-
iusmodi guttam, fieret una dimensio ex
vino appposito & huiusmodi gutta: sed
dimensio vini apppositi esset in subiecto:
dimensio autem guttæ, quàm diu esset
ibi sanguis Christi, esset sine subiecto:
eadem ergo dimensio, si remaneret ibi
sanguis Christi, esset in subiecto, & sine
subiecto; quod est inconueniens.

*Quàmvis continuum, ut quantum; cum
tamen non possit dividi in infinitum, ut est
corpus naturale, quale est panis & vinum,
sicut & horum species, sed per divisiones
& subdivisiones tandem ad illud minimum
deveniri deberet, infra quod non posset con-
servari aut substantia, aut species panis
&c. Si per vinum infusum ita dividatur
gutta, cessat sanguis ibi Christi, non aliàs.*

RESPONDEO Dicendum, quòd
duplici viâ declarare possumus, quòd
quod posset contingere, quod
sanguis existens sub gutta speciei vini
desineret ibi esse per appositionem vini.

Duplex via
ad investi-
gandum re-
sponsum
ad quæsitum

Prima via sumitur ex iis, quæ vide-
mus in rebus naturalibus. Secunda ex
iis, quæ sunt propria huic Sacramento.

PRIMA VIA sic patet, Videmus
in rebus naturalibus, quòd ex sola di-
mensione posset fieri corruptio: nam li-
cet dimensio continui vadat in infini-
tum ratione, quâ quantum; non tamen
vadit in infinitum ratione, qua cor-
pus naturale; est enim devenire ad
minimam aquam, & ad minimum aë-
rem; ita quod, si ulterius divideretur,
non esset ibi species aquæ vel aeris ut
probat Philosophus in 1. *Physicorum*,
cùm disputat contra *Anaxagoram*. Sicut
etiam est dare minimum vinum; ita
quod, si divideretur, non remaneret ibi
species vini. Si ergo sit sanguis Christi
sub gutta vini, & superfundatur ei vi-
num non consecratum: aut illa gutta
remanebit integra, aut dividetur per
appositionem vini: quòd, si remaneat in-
tegra, erit ibi sanguis Christi, sicut &
prius; & maximè, si vinum superinfu-
sum sit ejusdem rationis, vel habeat si-
milis accidentia cum illa gutta; ita quod
non fiat ibi corruptio à contrario: sed,
quia potest dividi huiusmodi gutta in
tales partes, in quibus secundùm se con-
sideratis non remaneret species vi-
ni, idèò tunc oportet, quod ibi desinat
esse sanguis Christi. Nam tam diu cor-
pus est sub hostia, quàm diu remanet ibi
species panis: & tam diu sanguis est sub
specie vini, quàm diu remanet huius-
modi

1. Ex rebus
naturalibus

Cōtinuum
dividitur in
infinitum,
ut quan-
tum.

Non tamen
ut corpus
naturale:
unde

Datur mi-
nimum
aquæ &c.

Sicut mi-
nimum pa-
nis & vini:

*Infra quod
si dividatur
desinit cor-
pus & san-
guis.*

modi species. Si ergò vinum appositum dividat illam guttam in tam minutas partes, in quibus secundum se consideratis non possit salvari species vini, desinet ibi esse sanguis.

SED DICES, quod gutta sit divisa in partes, licet secundum se non retineat speciem vini, quia non est vinum secundum formam; alteri tamen conjuncta poterit servare speciem vini; quia erit vinum secundum materiam: nam vinum secundum materiam potest esse quantumcumque modicum; licet vinum secundum formam oporteat esse alicujus determinatæ quantitatis.

*Quia non
remaneret
species pa-
nis & vini.*

Sed hæc objectio est modici ponderis. Nam sanguis Christi non est nisi sub specie vini: si ergò esset sanguis Christi sub modica parte guttæ, esset sub ea, prout reservatur ibi species vini: non autem reservaretur ibi species vini, nisi ut conjuncta vino superinfuso: inciperet esse ergò sanguis Christi in vino superinfuso: quod est inconueniens; cum super hujusmodi vinum non sint reiterata verba Sacerdotis, ex quorum verborum virtute fit transsubstantiatio vini in sanguinem.

*Potest ta-
men mane-
re, & quan-
do?*

ALIVD EST autem quærere, Vtrum existente sanguine sub gutta speciei vini, de necessitate desinat ibi esse hujusmodi sanguinis? & Vtrum possit contingere quod sic esse desinat? Nam, si quæratur; Vtrum de necessitate sic se habeat? dicemus, quod non: quia posset illa gutta remanere integra. Sed si quæratur; Vtrum possit hoc contingere? dicemus, quod sic: quia per vinum superinfusum possunt partes illius guttæ separari ab invicem: & posset esse separatio facta in tam modicas partes; quod in illis partibus secundum se non remaneret illa species vini: quo contingente desineret ibi esse sanguis Christi.

*Quamvis
ordinariè
desinat.*

ET SI VLTERRIVS quæratur; quod istorum magis contingat? dicemus, quod valde esset casuale, quod illa gutta remaneret integra, & non immisceretur vino appposito: idè ut plurimum, & quasi regulariter contingere, quod existente sanguine Christi sub gutta speciei vini, per infusionem vini non consecrati desiniret ibi esse

sanguis Christi.

SECUNDA VIA ad hoc idem sumitur ex iis, quæ sunt propria huic Sacramèto. Nam sicut dicimus de corpore Christi, prout ex vi Sacramenti sit sub specie panis, sic dicimus de sanguine, prout ex vi Sacramenti est sub specie vini: dicimus inquam, quod, sicut totum corpus Christi est sub tota hostia, & totum sub qualibet parte; sic totus sanguis Christi sit sub tota specie vini consecrati, & totus sub qualibet parte: hujusmodi tamen partes, sub quibus est totum corpus, & totus sanguis, non sunt infinitæ, sed finitæ.

*2. Ex ipsa
Eucharistia
in qua to-
tus corpus
& sanguis
sub totis
speciebus,
& sub qui-
buslibet
partibus.*

*Quæ non
sunt inti-
nitæ:*

Et hujusmodi facta conversio specialiter dicitur transsubstantiatio: quia manentibus accidentibus sola substantia panis convertitur in substantiam corporis, & sola substantia vini in substantiam sanguinis. Ergò secundum totalitatem substantialem tota substantia panis est sub tota hostia, & tota sub qualibet parte; eo quod quælibet pars panis sit panis (quod non esset, nisi totum illud, quod est de essentia panis, conservaretur in qualibet parte panis) sicut etiam se habet ex parte vini: & quia secundum totalitatem substantialem tota substantia panis & vini est in aliquo toto pane, & tota substantia vini in aliquo toto vino, & tota in qualibet parte, oportet, quòd tota substantia corporis & sanguinis Christi sit in toto hujusmodi Sacramento, & tota in qualibet parte. Sed constat quod partes illæ, in quibus est tota substantia panis, sint partes secundum formam, sunt enim tales partes, in quibus secundum se potest conservari substantia panis: partes autem secundum formam, in quibus conservatur substantia rei, non sunt infinitæ, sed finitæ; posset enim accipi sic modicum de pane, vel de vino, quòd non esset panis, nec vinum secundum formam, & secundum se non reservaretur substantia panis & vini. Quia ergò sanguis Christi non dividitur secundum dimensionem speciei vini: sed est totus sanguis sub tota specie, & totus sub qualibet parte: quia partes illæ, sub quibus est hujusmodi sanguis secundum se, sunt partes secundum speciem, & non sunt infinitæ, sed finitæ: quando per infusionem vini sic

*Sicut tota
essentia
panis &
vini.*

*Secundum
speciem.*

*Cujus con-
versio vo-
catur trans-
substantia-
tio.*

*Hæc autem
desinunt
factâ divi-
sione spe-
cierum.*

divi-

dividitur gutta, sub qua erat sanguis Christi, quod non divideretur in partes specie vini secundum formam: oporteret, quod ibi defineret esse sanguis Christi.

QVOD VERO arguebatur in contrarium, quod non fit corruptio nisi a contrario, & quod vinum super-appositum non contrarietur illi guttæ, sub qua ponitur esse sanguis, vel ratione formæ, vel ratione dimensionum: dici debet, quod, ut patet per habita, possit fieri corruptio ex sola divisione continui: vinum enim superinfusum dividens illam guttam in tam modicas partes immiscendo se ei, quod in illis partibus non possit reservari species vini, facit quod ibi esse desinat sanguis Christi.

Quomodo species accidentales possint esse simul in subiecto, & extra subiectum?

ARGVMENTVM etiam aliud deficiebat: quia, sicut non est inconueniens, eandem dimensionem secundum varias sui partes esse sub contrariis formis, sic non est inconueniens secundum aliam & aliam partem esse in subiecto, & non in subiecto. Si ergo superinfunderetur vinum, quod non immisceretur illi guttæ, & quod non discontinuaret partes ejus, fieret una dimensio ex vino superinfuso, & ex illa gutta, & esset illa dimensio in subiecto, & non in subiecto: sed hoc etiam esset secundum aliam & aliam partem: secundum quem modum in eadem dimensionem contrarietatem reperire non est inconueniens.



MEMBRVM

SECVNDVM.

De Ente creato.




EINDE quærebantur de pertinentibus ad ens creatum. Ens autem creatum potest considerari generaliter & specialiter.

DISPVATIO

PRIMA.

De Ente creato generaliter.



NS AVTEM creatum generali divisione dividitur in substantiam & accidens. Propter quod triplex erat talis quæstio: una pertinet generaliter ad omne ens; Vtrum in ipsis entibus sive in ipsis rebus esset veritas? Alia pertinet generaliter ad omnem substantiam; Vtrum in ipsa substantia immediate posset fundari relatio? Tertia pertinet ad omne accidens generaliter; Vtrum unum & idem accidens numero posset esse in diversis subiectis?

QVÆSTIO I

QVODLIBETI VII.

Vtrum veritas sit in entibus, aut rebus?

Tractat hanc quæstionem cum aliis de veritate Aegid. 1. 2. Metaph. à q. 1. usque ad 9. item in 1. d. 19. Arim. q. 1. 2. 3. Ger. Sen ibi 1. q. 2. 2. 1. Francil. A Christo q. 2. D. Th. q. 5. a. 1. & de ver. per tot. & 1. parte q. 16. 2. 6. & 7. cum suis & passim Moderni. Scot. 6. Met. q. 8. Bacon. d. 19. sup. q. 1. cum Scotistis multis. Dur. p. 2. q. 5. Aur. p. 3. a. 2. Capl. art. 3. Mol. 1. p. q. 16. d. 2. & 3. Vasq. d. 77. Suar. d. 8. Met. Mend. d. 7. & alii alibi.

Aegidius verò hic ostenso, quomodo res sit bona & vera? & quod ut talis dicatur obiectum intellectus & appetitus? Deducit ex eo, quod veritas sit in intellectu, & declarat, quod consistat propriè & rigorosè in assimilatione intellectus ad rem. Quamvis interim secundum triplicem acceptionem possit dici esse in rebus.



D PRIMVM sic procedebatur. Ostendebatur autem quod veritas sit in ipsis rebus: nam veritas est idem quod rei entitas; nam dispositio uniuscujusque rei in veritate

D d 3 est

est sua dispositio in entitate; ut dicitur in 2. *Metaphysica*: sed entitas est in ipsis rebus; ergo & veritas.

Primò, si extrema sint in aliquo, & medium oportet poni in eodem: sed intellectus entis præcedit intellectum veri, intellectus autem veri præcedit intellectum boni, quia priùs intelligitur res habere ordinem ad intellectum, quàm ad appetitum: veritas ergo est media inter entitatem & bonitatem: sed entitas & bonitas sunt in rebus: Ergo & veritas.

IN CONTRARIVM EST. Philosophus in *Periermenias*, & in 3. *De anima* volens, quòd circa compositionem & divisione sit veritas & falsitas.

RESOLVTIO.

*Cum res sit cognita ut est in cognoscen-
te, & consequenter vera: & veritas con-
sistat in assimilatione intellectus ad rem: om-
ninò dicendum, veritatem propriè & rigoro-
sè non in rebus, at in intellectu esse: quam-
vis aliquo modo secundum aliam significa-
tionem, transumptivè, & causaliter esse in
ipsis entibus admitti possit.*

Tria tra-
stantur.

RESPONDEO Dicendum, quòd in hac quæstione hoc ordine procedemus: Primò declarabimus, quòd veritas & falsitas sit in intellectu. Secundò ostendemus, quomodo sit in intellectu? Terriò declarabimus, quomodo sit in rebus?

1. Quomodo
res vera,
& bona:

Et ratione
1. dicitur
object. in-
tell. ratio-
ne 2. appe-
titus.

PROPTER PRIMVM Sciendum, quòd res dicatur vera pro-ut est ab intellectu cognita, sicut dicitur bona pro-ut est ab appetitu volita. Est enim verum objectum intellectus, sicut bonum est objectum appetitus; res autem non cognoscitur per cognitionem, quæ est in ipsa, nec per aliud, quòd est in ipsa: sed per illud, quòd est in intellectu; sunt enim res cognitæ, non prout sunt in seipsis: sed prout sunt in cognoscente: ideò sunt veræ, non per veritatem quæ sit in ipsis formaliter: sed per id, quòd est in cognoscente. Sed non sic est ex parte bonitatis, & ut res sunt volitæ, sicut est ex parte veritatis, ut res

sunt cognitæ; sunt enim res volitæ, ut sunt in seipsis; licet sint cognitæ, ut sunt in intellectu: existente enim forma balnei in intellectu, etiam non existente balneo in re extra, possumus intelligere balneum, & proprietates balnei, & quæcumque pertinent ad naturam balnei.

Ad intellectum ergo balnei sufficit balneum, ut est in intellectu; etiam si nihil esset de balneo in re extra. Sed ad velle balnei non sufficit balneum, ut est in intellectu: sed requiritur balneum in re extra: postquam enim habemus in intellectu formam balnei, adhuc volumus balneum in seipso. Et quia res per comparisonem ad ipsum intellectum, & ut est cognita, dicitur volita: ut autem est volita dicitur bona (quia est cognita, ut est in intellectu, est volita, ut est in seipso) benè dictum est, quòd verum & falsum sint in mente: bonum autem & malum sint in rebus.

ET, VT melius appareat, quòd dicitur; dicemus quòd veritas consistat in assimilatione intellectus ad rem: ut, quando sic aliquid est in intellectu, ut est aptum natum esse in re, dicimus intellectum esse verum: quando non, sic dicimus esse falsum. Accipiendo ergo assimilationem largè, pro forma, ex qua sumitur ratio similitudinis, per se est, quòd talis forma sit in intellectu; non autem, quòd sit in re: nunquam enim intellectus intelligit, nisi habeat in se similitudines rei; intelligitur tamen res, etiam si in se non existat, aut non habeat in se naturam, & existentiam. Si ergo verum dicatur aliquid, prout est ab intellectu cognitum; &, secundum quòd huiusmodi, non oporteat quòd sit in se: sed tantum quòd sit in intellectu; benè dictum est, quòd verum & falsum formaliter sint in mente, & non in rebus. Potest autem veritas esse in re causaliter, & prout assimilatio in mente causata est à rebus: formaliter autem veritas est in intellectu.

ADVERTENDVM tamen, quòd oporteat, veritatem habere fundamentum non vanum, nec cassum; si enim veritas est in assimilatione rei ad intellectum, oportet, quòd res ad intellectum se habeat diversimodè; vel, quòd sit apta nata causari ab intellectu, secundum quòd

Et cognita
est, ut est in
cognoscente,
volita
verò ut in
se.

Declaratur
ex balneo.

Hinc vera
est, ut in
cognoscente
re bona; &
mala, ut in
se.

Veritas au-
tem consi-
stet in assi-
milatione
intellectus
ad rem.

Quæ sup-
ponit cer-
tum respec-
tum rei ad
intelle-
ctum.

Et hic est
triplex.

quod se habent res ad intellectum divinum: vel quod sit apta nata causare similitudinem in intellectu, secundum quod se habent res ad intellectum nostrum: vel ambo sint apta nata causari à tertio, secundum quod se habent res ad intellectum angelicum; cognitio enim angelica, consistit in quadam assimilatione intellectus ad res: sed huiusmodi assimilatio non sumit originem, quod res sint aptæ natæ causari à specibus angelicis, nec quod species angelicæ sint aptæ natæ causari à rebus: sed quia hæ & illæ sunt aptæ natæ causari à tertio: quia ab eisdem ideis in mente divina fluxerunt species in mentibus angelorum, & res in prima natura. Si verò esset talis assimilatio, quæ nec esset apta nata causari à rebus, nec causare res, nec causari à tertio, sicut est conceptus chimæ, vel alicujus figmenti; in tali intellectu non acciperetur veritas: sed diceretur huiusmodi intellectus esse vanus & cassus.

SI AUTEM accipiatur assimilatio propriè, non est assimilatio nisi in re causata; nam hoc dicitur assimilatum esse, quod est ad alterius similitudinem factum: sed si accipiatur assimilatio largè, pro omni repræsentatione, sive sit exemplar, sive exemplatum, sive causa, sive causatum; dicemus, quod, per se loquendo, licet res sit volita per id, quod est in seipsa; tamen sit cognita per assimilationem, quæ est in intellectu. Sic ergo accipiendo assimilationem largè, hæc est veritas, assimilatio intellectus ad rem: quia res est cognita, ut est in intellectu, ergo & res erit vera; per illud, quod est in intellectu, non per illud, quod est in seipsa: memimus enim assignasse nos causam quare veritas sit in intellectu, & non in rebus, eò quod veritas consistat in quadam adæquatione: & quia intellectus noster dependet à rebus, sicut scientia dependet à scibili: & quia adæquatio quandam relationem importat; sicut scibile refertur ad scientiam, non per relationem, quæ sit in ipso, sed per relationem quæ est in scientia; sic res adæquatur intellectui nostro, non per adæquationem, quæ est in rebus, sed per adæquationem quæ est in intellectu; res enim præexistunt: intellectus verò imitatur eas & adæquatur ipsis: imitatio ergo, &

adæquatio est in ipso intellectu: intellectus ergo noster adæquatur rebus per adæquationem, quæ est in intellectu. Si autem res ipsæ dicantur adæquatæ intellectui, hoc non est, quia ipsæ res adæquantur: sed quia intellectus adæquatur, & quia adæquatio est in ipso intellectu, veritas etiam, quæ adæquationem importat, dicitur esse in intellectu.

Et quid ad hoc requiratur?

SED HÆC ratio, licet vera sit, particularis tamen est. Videtur autem ratio tacta utilis esse: & quia apud intellectum & divinum, & angelicum, & nostrum, per se loquendo, res non est cognita per assimilationem, quæ est in ipsa, sed per assimilationem, quæ est in intellectu; sufficit, quod res sit apud intellectum, & quod habeat assimilationem ad intellectum, ad hoc, ut sit vera, & ut sit objectum intellectus: quod non esset, nisi veritas formaliter esset in ipso intellectu. Oportet tamen, ut dicebamus, hanc assimilationem esse in intellectu, secundum quam sumitur ratio veritatis, & inniti ordini verò, non ficto. Est autem ordo verus, ut dicebatur, assimilationis ad rem, vel quando ex assimilatione, siue ex similitudine illa est apta nata causari res: vel quando est apta nata causari à re: vel quando ambo sunt apta nata causari à tertio.

VISO, quod veritas sit in intellectu, volumus dare modum, quomodo in intellectu existat? Dicemus enim, quod veritas, quæ opponitur falsitati, existat in intellectu componente, & dividente. Nam licet res dicatur vera, ex eo, quod sit objectum intellectus: & sit objectum intellectus secundum assimilationem, quam habet in ipso: tali tamen veritati non propriè opponitur falsitas, nisi fortè in iudicando; circa enim intellectum simplicium non est veritas, quæ opponitur falsitati. Si verò secundum simplicem assimilationem velimus accipere rationem veritatis, non accipietur veritas ut falsitati opponitur; in intellectu enim simplicium, vel non est simpliciter veritas, id est, simpliciter assimilatio: vel, si est veritas, & falsitas, hoc est, prout in ipso intellectu est aliquis compositionis modus: nam ipsas quidditates simplices non intelligimus omnino modo simplici: sed imitamus eas formando definitionem: sed cum

Veritas opposita falsitati, est in intellectu componente & dividente.

Etiam rerum simplicium, quas concipit per definitionem & divisionem.

Quorum si nullus sit, est conceptus chimericus & vanus, id est, sine veritate:

Quamvis assimilatio propriè tantum sit in re causata,

Large tamen est in intellectu, per quam dicitur res vera.

definitio sit sermo habens partes, & sit aliquid competens definito, dupliciter poterit esse falsitas in definitione, vel quia partes definitionis non rectè componimus; vel quia definitionem suo definito non debite adaptamus.

IN IPSO ERGO intellectu, simplicium est aliquis modus veritatis; cum verum sit objectum intellectus, & cum res dicatur vera, ex eo, quod sit apta ab intellectu cognosci. Huiusmodi tamen veritas non est in ipsis rebus, sed in intellectu: quia res non sunt objectum intellectus, ut sunt in seipsis: sed ut sunt in intellectu. Huiusmodi etiam veritas non habet proprie oppositam falsitatem; falsitas enim & veritas opposita falsitati sunt circa compositionem & divisionem. In intellectu autem simplicium non est falsitas, nec veritas, quæ opponitur falsitati: prout est ibi aliquis alius compositionis modus.

Accipiendo ergo veritatem generaliter, prout dicuntur res veræ, ut sunt ab intellectu cognitæ, siue sit talis cognitio simplex, siue composita, veritas quidem est in intellectu simpliciter, non in rebus. Accipiendo autem veritatem magis specialiter, secundum quod habet falsitatem oppositam non competit per se intellectui simplicium: quia huiusmodi intellectus, per se loquendo, semper est verus; talis autem veritas est in intellectu formaliter non in rebus sicut in causa. Quod sic declaratur.

Imaginabimur enim, ut imaginatur Philosophus in 3. *De anima*, quod res apud intellectum sint sicut erant membra animalis apud Empedoclem: posuit enim Empedocles, quod a principio membra animalis fuerint divisa: & non solum animalis membra; sed & rami arborum; ut, fuerit caput sine collo, siue sine cervice: & fuerit cervix, siue collum sine scapulis: & sic de membris singulis. Hoc etiam modo & rami arborum divisi fuerint: supervenerit autem amicitia, & hæc divisa conjunxerit quædam verò conjunxerit rectè: quædam non rectè: quæ autem conjunxerat rectè, fecit inde verum animal, & salvatum est. Aliquando autem conjunxerit non rectè; ut, conjunxerit caput bovis cum collo equi, vel cum ramo arboris: &

tunc tale animal salvari non poterit.

Hoc ergo modo etiam apud intellectum res habent esse divisum: sed intellectus componit & dividit: & hoc facit rectè, & non rectè. Quando verò sic conjungit, faciendo propositionem affirmativam, vel quando sic dividit, faciendo propositionem negativam, secundum quod sunt in re conjuncta vel divisa, dicitur facere propositionem veram: quando è contrario, falsam.

Hoc ergo modo falsitas, & veritas opposita falsitati non potest esse in rebus: quia oportet quod in intellectu sint composita, ut sunt composita in re, & sint divisa, ut sunt divisa in re: non ergo erit ibi falsitas, nec veritas opposita falsitati, sed intellectu componente & dividente: quia potest conjungere, quæ sunt in re conjuncta, &, quæ non sunt conjuncta. Et, quia potest dividere, quæ sunt in re divisa, & quæ non sunt divisa, idè in talibus potest esse falsitas, & veritas opposita falsitati.

Qualitercumque ergo accipiat veritas, siue generaliter, prout quodlibet dicitur verum prout est ab intellectu cognitum, siue specialiter, ut habet falsitatem oppositam, & ut non habet esse, nisi in compositione & divisione; semper veritas formaliter est in intellectu, & non in rebus, ut per antecedentia est declaratum.

OSTENSO, quod veritas sit in intellectu, &, quomodo sit in intellectu? volumus ostendere, quomodo veritas sit in rebus? Dicemus autem, quod veritas sit in rebus tripliciter: Primo secundum aliam significationem. Secundò secundum transmutationem. Tertio secundum causam.

POTEST QUIDEM veritas esse in rebus secundum significationem aliam: dictum est enim, quod aliquid dicatur esse verum, prout est objectum intellectus, & prout est aptum natum ab intellectu cognosci: secundum quem modum non oportet rem esse in seipsa, sed apud intellectum. Sed potest accipi veritas secundum significationem aliam; ut idem sit veritas, quod puritas: vel idem sit veritas, quod firmitas, vel stabilitas: secundum quem modum dicitur aurum verum, quando est purum & non mixtum: &, dicuntur bona vera,

Res equidem sunt apud intellectum, sicut membra animalis apud Empedoclem.

Et quare?

Tripliciter veritas in rebus esse dicitur.

1. Secundum aliam significationem,

Ut idem est verum quod purum.

ba, quando sunt firma & stabilia. Sic ergo accipiendo veritatem, prout opponitur mixtioni, & prout est quædam puritas: vel accipiendo veritatem, prout opponitur vanitati, vel mutabilitati, & prout est quædam firmitas vel stabilitas: vel accipiendo veritatem secundum aliquam aliam huiusmodi significationem; sic veritas est in rebus. Sed secundum significationem superius positam; secundum quod verum est objectum intellectus (quia res est cognita ut est in cognoscente) res dicitur vera per veritatem, quæ est in intellectu. Valet enim hoc; est objectum intellectus: ergo secundum quod habemus dicit aliquid in intellectu: non autem valet, ergo est aliquid in se; me enim intelligente balneum, erit balneum aliquid in intellectu: non autem erit aliquid in se; quia possumus intelligere balneum & proprietates balnei, & quicquid spectat ad naturam balnei, ut supra dicebatur, nullo balneo existente.

SECUNDO potest esse veritas in rebus secundum quandam transumptionem: nam accipere veritatem pro puritate, vel stabilitate, est accipere veritatem secundum significationem aliam à significatione superius posita. Potest tamen à significatione superius posita fieri quædam transumptio; secundum quem modum accipietur veritas, prout locuti fuimus supra de veritate, secundum quod consistit in quadam adæquatione rerum, & intellectuum. Potest item adhuc fieri quædam transumptio, ut dicatur veritas secundum quod consistit in quadam adæquatione, non rerum ad intellectum: sed ad aliquid aliud; ut puta, ad sua principia, ut dicatur verum aurum, quando adæquatur principiis auri. Hoc etiam secundo modo dici poterit, veritatem esse in rebus.

TERTIO MODO potest dici veritas esse in rebus secundum causam: secundum quod dicimus, cibum aliquem esse sanum: non quod aliquid de sanitate formaliter sit in cibo: sed sit in eo secundum causam; ut, quod sit aptus natus sanitatem causare; non est enim sanum formaliter nisi animal: & cum cibus dicitur sanus, hoc est causaliter. Ab eadem equidem sanitate dicitur animal

sanum, & cibus sanus: animal quidem, prout habet, vel est aptum natum ipsam habere formaliter: cibus verò, prout illam sanitatem efficit, vel est aptus natus efficere causaliter. Sic ab eadem veritate dicitur res vera, & intellectus verus; ut, si dicatur veritas quædam assimilatio ad res, vel quædam adæquatio, intellectus dicitur verus, eò quod habeat in se illam assimilationem, & illam adæquationem formaliter: res autem dicitur vera, quia habet illam assimilationem, vel adæquationem efficere causaliter. Secundum hoc ergo poterit dici res falsa, quando est apta nata facere assimilationem, non ad illud quod est: sed ad id, quod non est; sicut videmus de ære, quod felle taurino tinctum videtur esse aurum. Erit ergo illud æs sic tinctum falsum aurum: quia facit in intellectu assimilationem de eo, quod non est; facit enim impressionem in nobis, ac si esset aurum; cum tamen non sit aurum. Assimilatio ergo intellectus ad rem, vel adæquatio (in quo formaliter consistit veritas) per se loquendo, est aliquid in intellectu, non autem in re, nisi fortè causaliter: quia res est apta nata hoc causare. Vel talis assimilatio, si non respiciat rem secundum causam, respicit eam secundum repræsentationem; ut, quia res est apta nata sic repræsentari.

AD PRIMVM dicendum, quod idem sit veritas & entitas rei: sed non secundum eandem rationem; quia natura rei est quædam entitas secundum se. Sed est quædam veritas, ut comparatur ad intellectum, & ut est objectum ejus: secundum quem modum non oportet, quod sit aliquid in se: sed sufficit quod sit aliquid in intellectu. Eadem ergo natura rei, quæ est in se entitas formaliter, prout comparatur ad intellectum, potest esse veritas causaliter. Eadem ergo natura posset dici entitas & veritas: unum formaliter, aliud causaliter. Sed ex hoc non habetur quod veritas sit in rebus, nisi sicut in causa.

AD SECUNDVM dicendum, quod cum veritas sit in intellectu: entitas verò & bonitas in rebus, hoc non sit vel ratione medii, vel ratione extremitatis: quod enim prius intelligatur in re esse entitas, quàm veritas, & veritas, quàm

bonitas, nihil facit ad propositum: sed illud, quod significatur nomine entitatis, vel bonitatis, vel veritatis, est in proposito attendendum: Nomine autem veritatis significatur quædam assimilatio, vel adæquatio, quæ formaliter est in intellectu: secundum causam autem potest esse veritas in rebus, vel secundum aliquem alium modum. Dicimus autem, secundum aliquem alium modum, propter intellectum divinum, & angelicum, quorum scientia non causatur à rebus formaliter. Ergo veritas non est nisi in intellectu; sicut sanitas formaliter non est nisi in animali: sed causalitas, vel tamquam in signo, vel secundum aliquem alium modum, potest esse in aliis.

QVÆSTIO II.

QVODLIBETI VIII.

Vtrum relatio realis possit immediate fundari in substantia?

De relatione videatur Ægidius citatus hoc quodlibet quæst. 3. cum reliquis Auctoribus, & Philosophis partim in Logica, partim in Metaphysica, nominatim Mendoza Metaph. d. 15. maxime sect. 5.

Hic verò Ægidius diversimodè distinguit relationes, tum inter se, cum ab aliis prædicamentis: & de singulis respondet, juxta ordinem in textu positum.



SECUNDO quærebatur de omni substantia; Vtrum immediate posset fundari in substantia relatio realis, quæ est in prædicamento relationis? Et arguebatur quod sic. Nam, ut dicebatur, una substantia creata ordinatur ad aliam, & totum ordinatur ad Deum; tamen nullus intellectus esset: igitur secundum rei veritatem potest fundari & fundatur relatio in ipsa substantia.

Præterea non est majoris dignitatis substantia creata, quàm increata: sed in ipsa substantia divina fundatur relatio; ut, ex eo quod Filius accipiat naturam

a Patre, est in eo filiatio: in ipsa ergo natura divina, ut est communicata Filio per generationem, habet esse relatio: multò ergò magis erit in ipsa substantia creata.

Præterea in Deo sunt duo prædicamenta, substantia, & relatio: Ita quod permaneat ibi relatio secundum se; quod non posset esse, nisi relatio fundaretur immediatè in ipsa divina substantia: multò ergò magis hoc esse poterit in creaturis.

IN CONTRARIUM EST, quia illa relatio sic fundata esset substantia, vel accidens: non esset substantia; cum substantia non sit ad aliquid: nec esset accidens; quia relatio non est accidens, nisi ratione fundamenti: igitur, si esset dare aliquam talem relationem in creaturis, esset dare aliquod medium inter substantiam & accidens.

RESOLVTIO.

Cum relatio alia sit secundum dici, alia secundum esse: alia secundum rem, alia secundum rationem: prima verò distinctio locum etiam habeat in aliis prædicamentis, non secunda; Dicendum, quòd relatio quidem secundum dici, non verò secundum esse fundari possit immediatè in substantia: adeoque substantia possit esse relativa.

RESPONDEO Dicendum, quòd in hac quæstione sic procedemus: Primò, assignabimus distinctiones, quæ fiunt de relatione; & declarabimus, quomodo illæ distinctiones se habeant ad alia prædicamenta? Secundò, comparabimus hujusmodi distinctiones ad invicem. Tertiò, descendemus ad quæstionem; Vtrum possit relatio immediatè fundari in ipsa substantia?

Propter primum sciendum, quod de relatione communiter fiant duæ distinctiones, quarum una est, quod quædam sit relatio secundum esse; quædam autem secundum dici. Dicuntur autem relativa secundum esse, quæ secundum id, quod sunt, pertineat ad prædicamentum relationis. Sed alia dicuntur relativa secundum dici, quæ secundum id quod

Quid tractandum, & quo ordine?

Relatio-
num alia
secundum
esse, alia
secundum
dici?

quod sunt , pertinent ad alia prædicamenta : habent tamen ipsa in se quendam modum relativum , sicut scientia est relativum secundum dici : quia ipsa secundum se pertinet ad prædicamentum qualitatis ; cum sit habitus quidam : habet tamen quendam modum relativum ; quia habet quendam dependentiam , & respectum ad scibile.

Alia secundum rem, alia secundum rationem:

Secunda distinctio est, quod quædam sint relativa secundum rem, quædam secundum rationem. Nam aliqua referuntur ad alia, quia realiter dependent ab illis ; sicut scientia nostra fertur ad scibile, quia realiter pendet ab ipso : & talia sunt relativa secundum rem. Aliquid autem refertur ad aliud, non quod ipsum in se referatur, vel quod ipsum ab illo dependeat : sed quia aliud refertur ad ipsum, & dependet ab eo ; sicut scibile refertur ad scientiam, non per relationem, vel per dependentiam, quæ sit in scibili : sed per relationem, quæ est in scientia ; scibile enim refertur ad scientiam, quia scientia refertur ad ipsum : & tales sunt omnes relationes Dei ad creaturam ; cuiusmodi sunt relationes temporales : quia nihil ex tempore potest dici de Deo secundum rem : sunt autem tales relationes secundum rationem : nam non possumus intelligere, quod scientia referatur ad scibile ; nisi intelligamus, quod & scibile referatur ad scientiam. Propter relationem ergo, quæ est in scientia secundum rem, est relatio in scibili secundum rationem, & secundum modum intelligendi. Hæ autem duæ distinctiones sic comparantur ad alia prædicamenta, quod prima distinctio non solum habeat locum in relatione, sed etiam in prædicamentis aliis.

Quæ distinctio etiam locum habet in his prædicamentis.

Substantia scilicet:

NAM SICVT distinguimus, quod sit relatio secundum esse, & secundum dici ; sic distinguere possumus, quod sit substantia secundum esse, & secundum dici : dicitur autem substantia secundum esse, quæ, secundum illud, quod est, pertinet ad prædicamentum substantiale : substantia autem secundum dici, dicitur illud, quod habet quendam modum substantiale ; sicut ipsa qualitas, vel ipsum accidens in abstracto significatum est substantia secundum dici : quia sic acceptum habet quendam modum

substantialem. Ideo in 5. *Metaphysica* dicitur, ubi distinguuntur multi modi substantiæ, quod substantia dicatur, quod significat quid in omnibus rebus. Ipsa ergo essentia, & ipsa qualitas cuiuslibet rei potest dici quædam substantia : sed considerare rem aliquam secundum illud, quod est, & secundum suam essentiam est considerare ipsam secundum se, & secundum abstractionem. Album ergo dicitur accidens secundum rem ; quia ipsa res, quam significat album, est accidens : & secundum vocem, sive secundum modum significandi ; quia album significat concretionem : albedo autem est accidens secundum id, quod est : tamen secundum modum significandi, quia significatur aliquid secundum se, habet quendam modum substantiæ : Ipsum ergo accidens significatum, ut essentia, & in abstractione, est substantia secundum dici, & habet quendam modum substantiæ, secundum quem modum substantia dicit essentiam cuiuslibet rei.

SICVT ETIAM possemus distinguere quod sit qualitas secundum esse & secundum dici ; qualitas enim secundum esse est in prædicamento qualitatis : sed qualitas secundum dici est illud, quod est in aliis prædicamentis ; habet tamen quendam modum qualitativum ; hoc enim modo omnia universalis, etiam existentia in prædicamento substantiæ, significant quale quid : secundum quem modum loquitur Philosophus in prædicamentis ; quod *secundæ substantiæ non videntur hoc aliquid significare : sed significant quale quid*, id est, significant quid per modum quale : quia significant quid ut in alio, non ut per se existens. Hoc etiam modo loquitur ipse in 7. *Metaphysica* ubi vult, quod *nulum velle sit substantia : quia nulum velle est per se existens*. Albedo ergo & nigredo, & talia, quæ sunt in prædicamento qualitatis, sunt qualitates secundum esse : secundæ verò substantiæ, quæ secundum illud, quod sunt, sunt in prædicamento substantiæ, quia habent quendam modum qualitatis (quia significant aliquid quasi in alio, non quasi aliquid per se existens) sunt qualitates secundum dici.

Qualitatis.

Quomodo qualitas habeat modum substantiæ, & substantia modum qualitatis?

Et quomodo?

Advertendum tamen, quod, licet
E e 2 omne



Tria prædicamenta significant rem absolute secundum se,

Quantitas & qualitas in alio.

Substantia per se existens,

Quamvis 2. subst. significantur ut in alio, id est modo qualitativo.

Quantitas.

Virtutis enim excessus vel intentio dicitur quantitas secundum dici.

2. Distinctio competat soli relationi.

omne accidens sit aliquid in alio, quia non sunt nisi tria prædicamenta significantia rem aliquam absolute secundum se, significare aliquid in alio competit quantitati, vel qualitati: nam substantia significat aliquid per se: relatio significat ipsum ordinem ad alia sex prædicamenta, de quibus agitur in sex principiis, & significant rem in ordine ad aliud extrinsecum. Significare autem rem in alio, ut in subiecto, competit quantitati & qualitati. Secundæ verò substantiæ, quia non dicunt aliquid ut per se existens: sed dicunt aliquid ut in alio; earum iste modus significandi, vel erit quantitativus, vel qualitativus: non autem debet dici modus quantitativus, quia hoc est significare secundum æqualitatem, vel secundum extensionem: ideoque dicitur esse modus qualitativus, & dicuntur talia significare qualequid, id est, quid per modum quale.

Sic & de quantitate possemus distinguere: quia est quantitas secundum esse; ut illa, quæ est in prædicamento quantitatis: & est quantitas secundum dici, ut id, quod est in alio prædicamento; habet tamen quendam modum quantitativum: hoc modo virtutes sunt quantitates secundum dici; quia secundum se sunt in prædicamento qualitatis, habent tamen quendam modum quantitativum, secundum quem dicimus, quod tanta virtus possit in tantum objectum.

Illud ergo, quod est qualitas, non est substantia, neque quantitas, neque relatio secundum esse: non est tamen inconveniens, quod sit omnia ista secundum dici; potentia enim est qualitas secundum esse; tamen, ut significatur in abstractione, est substantia secundum dici: ut verò dicit respectum ad objectum est relatio secundum dici: ut importat commensurationem quandam respectu objecti; ut, quod tanta potentia possit in tantum objectum, est quantitas secundum dici. Distinctio ergo, quæ aliquid dicitur esse tale secundum esse, aliud secundum dici, competit aliis prædicamentis à relatione.

SED SECUNDA distinctio, quæ aliud tale, secundum rem dicitur, aliud secundum rationem, soli relationi videtur esse propria: nam, ut supra diximus,

prædicamenta vel significant rem, & sic sunt tria prædicamenta; substantia, quantitas, & qualitas: vel significant ipsum ordinem, & sic est ipsa relatio: vel significant rem sub ordine, & sic sunt illa sex prædicamenta, de quibus agitur in sex principiis. Quia ergo omnia novem prædicamenta alia à relatione vel significant rem secundum se, vel rem sub ordine; non possunt esse talia secundum rationem, eò quod ipsam rem includant: sola autem relatio, quæ dicit ipsum ordinem, potest esse quid rationis tantum.

VISO, quæ distinctiones de relatione fiant? & quomodo distinctiones illæ comparentur ad alia prædicamenta? Volumus istas distinctiones ad invicem comparare. Crediderunt equidem aliqui, quod una illarum distinctionum incideret in aliam, & quod una distinctio esset idem quod alia; ut, quod idem esset esse relativum secundum rem, & secundum esse: & etiam, idem esset relativum secundum rationem, & secundum dici.

SED DICENDVM, quod membra harum distinctionum se habeant sicut excedentia & excessiva; relativum enim secundum rem potest esse secundum esse: & secundum dici. Et relativum secundum rationem potest esse & secundum dici, & quodlibet membrorum alterius distinctionis sic se habet ad aliam distinctionem; nam tam relativum secundum esse, quàm secundum dici potest esse secundum rem, & secundum rationem; scientia enim & scibile sunt relativa secundum dici; cum sint in aliis prædicamentis à relatione; scientia enim est in prædicamento qualitatis: scibile autem esse potest in quolibet prædicamento. Vtrumque ergo, tam scibile, quàm scientia, est relativum secundum dici: unum tamen est relativum secundum rem; aliud autem secundum rationem, sic etiam relativum secundum esse potest esse secundum rem, & rationem: nam Dominus & Filius sunt relativa secundum esse; quia sunt in prædicamento relationis: attamen Dominus importat relationem secundum rationem, Filius verò secundum rem.

POSITIS & declaratis distinctionibus,

Sola enim significat ordinem: reliqua rem vel absolute, vel sub ordine.

Membra autem harum distinct. habent se ut excedentia & excessiva.

Resp. dist. ad quæ situm.

bus, quæ sunt de relatione, restat ad quæstionem descendere. Cum ergo quæritur, Vtrum in ipsa substantia creata immediate possit fundari relatio? Dicemus, quod detur relatio secundum esse, & secundum dici: substantia autem possit esse relativum secundum dici, & possit in ea fundari relatio secundum dici, non autem secundum esse, quod patet per Philosophum in prædicamentis, qui cum primo definivisset relativa secundum dici, dicens, *quod ad aliquid talia dicuntur, quæcumque hoc ipsum, quod sunt, aliorum dicuntur*. Postea ait, quod *secundum definitionem datam cogimur dicere, aliquam substantiam esse ad aliquid*. Ideoque corrigit definitionem primam dans definitionem de relativis secundum esse; dicens, *quod relativa secundum esse sunt, non quia sic dicuntur, sed quia eorum esse est ad aliud se habere*. Secundum hanc autem definitionem, ut ipse innuit, nulla substantia est ad aliquid. Planè ergo vult quod substantia possit esse relativum secundum dici: non autem secundum esse. Hoc autem sic declaratur; nam, ut patet per habita, illud est relativum secundum esse, quod est in prædicamento relationis; prædicamentum autem relationis est unum de novem prædicamentis accidentalibus. Relatio autem non habet quod sit accidens, ex eo, quod relatio; quia tunc non esset in divinis, cum in Deo nihil sit per accidens, ut vult August. in 5. *De Trinitate*. Erit ergo relatio accidens ratione fundamenti; ut, quia fundatur in accidente. Si quis autem respectus fundatur in ipsa substantia pertinebit ad relationem secundum dici.

Nec valet, si dicatur, quod substantia realiter habeat ordinem ad aliquid: quia esse relativum secundum rem non est esse relativum secundum esse: nam & scientia dicitur relativum secundum rem, & tamen est relativum secundum dici.

DIFFUSIVS ergo tractavimus illas duas distinctiones de relativis datas, quia in hoc fundabatur quæstionis difficultas: Nam per has distinctiones patet, quod si in substantia posset fundari respectus realis, quod posset esse in ea relatio secundum esse, quod patet esse falsum: quia relatio secundum esse, ut

de ea locuti sunt Philosophi, cum pertineat ad prædicamentum accidentis, semper habebit pro fundamento aliquod accidens: propter quod talis relatio immediate in substantia fundari non potest.

AD PRIMVM dicendum, quod quantumcumque secundum rei veritatem possit fundari aliquis ordo, & aliquis respectus in ipsa substantia, ex tali tamen respectu non accipiatur relatio secundum esse; quia non poterit talis relatio pertinere ad prædicamentum accidentis.

AD SECUNDVM dicendum, quod duo prædicamenta, quæ sunt in divinis non sint ejusdem rationis cum istis prædicamentis; relatio enim, quæ est in divinis, non pertinet ad prædicamentum accidentis, quantumcumque maneat ibi, ut relatio. Propter quod non valet, si relatio in divinis possit habere pro fundamento ipsam divinam essentiam, quod relatio in creaturis, loquendo de relatione secundum esse, quæ pertinet ad prædicamentum accidentis, possit immediate fundari in ipsa substantia creata.

ET PER HOC patet solutio ad tertium argumentum.

QVÆSTIO III.

QVODLIBETI IX.

Vtrum aliquod accidens possit esse in duobus subjectis?

Videatur Ægidius cum auctoribus citatis ad quæstionem primam hujus quodlibeti.

Hic verò, ut quæstione citata, Ægidius distinguit inter quæsitum & propositum: illud verò dicit concernere quantitates determinatas, hoc duo generaliter accidentia ejusdem speciei. Inde resolutionem hujus petit ex triplici capite; unitate, scilicet, dependentia, & limitatione accidentis ad subjectum.



ERTIO quærebatur de omni accidente; Vtrum aliquod accidens possit esse in duobus subjectis? Et arguebatur quod sic: quia si

Insimul ostenditur, quod relatio ut talis sit accidens.

Et patet ex divinis.

ex aqua fiat aer, tantum de materia, quantum erat sub forma aquæ, fiet sub forma aëris: sed materia non habet quod sit tanta, vel tanta, nisi per quantitatem, & per accidens: ergo illud accidens, quod erat in aqua, est postea in aëre.

IN CONTRARIVM EST, quia tale accidens vel remaneret quantum ad esse; & tunc forma substantialis adveniret enti in actu: vel remaneret solum quantum ad essentiam, & acciperet aliud & aliud esse in alio & alio subiecto; & tunc accidens, ut dicebatur, migraret à subiecto in subiectum, quod est inconveniens.

RESOLVTIO.

Cum accidens faciat aliquid unum cum suo subiecto: insuper ab illo sic dependeat ut non sit ens, nisi in ordine ad illud: præterea quia sic per subiectum determinatur & limitatur, sicut corpus per locum, non potest esse naturaliter in duobus subiectis, neque simul, neque successive. Quamvis eadem quantitas determinata maneat in re generata.

Quid tractandum.

Resolutio ostenditur tribus viis.

Per unitatem, quam habet accidens ad subiectum.

RESPONDEO Dicendum, quod ista quæstio aliud proponat, & aliud quærat: proponit autem; Vtrum accidens possit esse in diversis subiectis? quærit autem; quomodo dimensiones indeterminatæ, vel quomodo quantitas materiæ possit esse eadem per essentiam in re generata, quæ fuit in re corrupta? Et ut satisfaciamus tam quæsito, quam proposito: Dicemus, quod triplici ratione venari possimus, quod unum & idem accidens non possit esse in diversis subiectis. Accidens enim ad substantiam habet unitatem, & dependentiam: item habet per ipsam limitationem. Ex quolibet autem istorum declarari potest, quod unum accidens non possit esse in diversis subiectis.

PRIMA RATIO sumitur ex parte unitatis; fit enim unum ex subiecto & accidente, sicut ex potentia & actu. Ideo dicitur in 2. *De anima*, quod non oportet querere, quo modo ex figura cere & cera fiat unum? Eo enim ipso, quod unum se habet ut potentia, aliud ut actus, fit

ex eis unum. Et in 12. *Metaphysica* dicit Commentator: quod *corpus calidum agens in aliquod corpus non inducat calorem ab extra: sed facit calidum in potentia esse calidum in actu.* Si ergo accidens existens in uno subiecto posset fieri in alio subiecto, non educeretur de potentia illius subiecti, nec illud subiectum potentia tale fieret actu tale: sed unum adaptaretur alteri: quodlibet ergo se haberet ut aliquid in actu: ex duobus ergo in actu fieret unum in actu: quod est inconveniens; esse enim non potest naturaliter, quod accidens præexistat subiecto suo; quia tunc quodlibet esset aliquid in actu: Et si unum conjungeretur alteri, oporteret dare aliquod medium coniungens: quod fit cum aliquod potentia tale, fit actu tale; ut, si potentia album fiat actu album, albedo illa antea non præexisteret suo subiecto: quia tunc fuisset aliquid in actu, & ex subiecto & albedine fuisset factum aliquid unum, tamquam ex duobus in actu.

DEINDE, si unum accidens posset esse in duobus subiectis, vel hoc esset simul, vel successive: simul autem non est intelligibile, quod unum & idem accidens secundum numerum sit in diversis subiectis: quia quod simul est in diversis secundum numerum, secundum quod huiusmodi, oportet quod diversificetur secundum numerum. Si autem hoc fiat successive, tunc actus præexistit subiecto suo: quia existens in uno subiecto postea est in alio subiecto: fieret ergo ex huiusmodi accidente & suo subiecto unum, tamquam ex duobus in actu: quod esse non potest.

SECUNDO hoc idem patet ex dependentia quam habet accidens ad subiectum: nam, ut traditur in 12. *Metaphysica*: *Principia universalium sunt universalia, particularium particularia.* Vt, quia generaliter Pater est principium Filii, hic pater erit causa, vel principium huius Filii. Si ergo sit generale, quod accidens dependeat ex subiecto; ergo hoc accidens ex hoc subiecto: & si generale sit quod accidens non sit ens, nisi entis; hoc accidens non erit hoc ens, nisi quia est huius subiecti: non erit ergo hoc accidens hoc ens, nisi quia est in hoc subiecto: si ergo tollatur ab hoc subiecto, tolletur ab eo sua essentia: remanere

2. Per dependentiam ejus à subiecto; non enim est ens, nisi dependenter à subiecto.

manere autem hoc ens, & remanere idem numero absque hoc subiecto, à quo habet quod sit hoc, est impossibile per naturam.

3. Per limitationem ejus à subiecto.

TERTIO hoc idem patet ex parte limitationis: limitatur enim accidens per subiectum suum, ut nihil accidentis sit extra subiectum, sicut limitatur corpus per locum in quo est, ut nihil corporis sit extra suum locum; aliter tamen & aliter: quia accidens non solum limitatur per subiectum, sed etiam per hoc subiectum; ut, ita determinatur ad suum subiectum, quod in alio subiecto esse non possit sed corpus, licet nihil de eo sit extra suum locum, poterit tamen esse in alio & alio loco.

QVOD ERGO accidens sit in diversis subiectis, vel simul, vel successive, repugnat unitati, quam habet accidens ad subiectum; quia scilicet non posset tunc fieri unum ex accidente & subiecto, nisi sicut ex duobus in actu: Et repugnat dependentiæ, quam habet ad ipsum: Et limitationi, quam habet per ipsum; limitatur enim accidens determinatè per suum subiectum, ut naturaliter extra, vel præter illud subiectum esse non possit. Satisfactum est ergo ei quod quæstio proponebat.

Actus sequitur vel ipsum compositum secundum se, vel ratione formæ; vel ratione materiæ.

RESTAT AVTEM satisfacere ei, quod quæstio quærebat, videlicet de dimensionibus determinatis, sicut de quantitate materiæ, quomodo remaneat eadem in re corrupta, & generata? hoc autem solvit Avicenna in *sufficientia sua* volens, quod *actus vel sequatur ipsum compositum secundum se, vel sequitur ipsum ratione formæ, vel ipsum ratione materiæ: accidens autem, quod sequitur subiectum ratione materiæ, manet idem.* Quia materia in re corrupta & generata potest remanere eadem numero, secundum ipsum, in re corrupta, & generata. Vnde ait, *quod citatrix & nigredo æthiopis remaneat eadem numero, in æthiopo vivo & mortuo.* Sed, quicquid sit de accidentibus aliis, de quantitate materiæ, ad quam non est motus, & quæ nunquam separatur à materia, dubium esse non debet, quin remaneat eadem numero.

AD ARGVMENTVM autem in contrarium; quod tunc accidens migraret à subiecto in subiectum, vel quod

idem accidens esset in duobus subiectis; dici debet, quod res corrupta, & generata non sint aliud subiectum secundum materiam: ideòque in accidente illo, quod fundatur in ipsa materia, non est inconueniens communicare rem corruptam, & generatam: sic enim non erit accidens in duobus subiectis, ut duo sunt, & ut differunt, sed ut unum sunt, & ut conveniunt.

SIC ERGO potest intelligi dictum Philosophi in *de generatione*. Quod quantitas symbola maneat eadem in re corrupta & generata, nam illa qualitas symbola vel sequitur formam, vel materiam: si formam, quia corruptum & generatum non conveniunt in aliqua forma numero, non poterit remanere talis qualitas eadem numero; licet, possit remanere eadem specie. Si verò sequitur materiam, quia manet materia eadem numero, non est inconueniens, quod talis qualitas remanere possit etiam eadem numero.

Duo priora non remanent in re generata, si fuerint in corrupta:

Benè tamen ultimum.

DISTRIBVTIO

QVÆSTIONVM.



EINDE quærebat de ente creato in speciali. Ens autem creatum dividitur in substantiam spirituales, & sensibilem. Quærebat ergo circa intellectualem substantiam, & circa sensibilem. Circa intellectualem verò erat quæstio; Vtrum idem in intellectualibus subiectis possit esse perfectio, & perfectibile? Circa sensibilem verò quædam quærebantur pertinentia ad agentia naturalia: quædam ad res animatas. Circa agentia naturalia quærebat unum pertinens ad omne naturale agens; Vtrum aliquod agens possit corrumpere unam formam absque eo quod inducat aliam? Aliud quærebat specialiter circa cælum; Vtrum posset esse aliquis hic inferius effectus naturalis, qui sit casualis, non reductus in motum cæli.